longe majoribus; laciniis foliorum longe tenuioribus, laciniis calycinis in flore aeque magno brevioribus.

631. Cristaria loasaefolia Ph. An. Univ. Chil. 1862. 2. p. 392. Cr. pilis stellatis sparsis aspera; caulibus erectis ramosis; foliis plerisque tripartitis; lobis laciniato-dentatis, intermedio longiore lineari; pedunculis axillaribus solitariis terminalibusque unifloris, inferioribus folio brevioribus, erectis, demum apice deflexis; corollis magnis, roseis, calycem bis aequantibus; alis carpellos bis aequantibus.

In prov. Mendoza, loco dicto Melocoton inven. orn. W. Diaz. — Caulis erectus, 1 — 1 $^1/_2$-pedalis, basi 1 $^1/_2$ lin. crassus, sicut tota planta laete viridis, pilis longiusculis, stellatis, sparsis vestitus. Folia infima quinqueloba, reliqua tripartita, lobis angustis, irregulariter laciniato-dentatis; intermedius longior; longitudo laminae in majoribus 2 $^1/_3$ poll.; petiolus crassus, paullo brevior. Stipulae lanceolato-lineares, sparsim ciliatae, vix 4 lin. longae. Longit. laciniarum calycis 5 $^1/_2$ lin., forma e basi lata sensim angustata; petala 9 lin. longa. Diam. fructus 6 $^1/_2$ lin.; carpelli lateribus asperi 1 $^2/_3$ lin. longi, alae, ut videtur, haud spiraliter contortae, 3 $^1/_2$ lin. — Differt a *Cr. aspera* Gay I. p. 320 pedunculis nunquam horizontalibus, basi calycis haud villosa etc.

632. Cristaria? patagonica Ph. Cr. cinerascens, dense stellato-pubescens; foliis inferioribus quinque-, superioribus tripartitis, ambitu orbicularibus, lobis inferioribus tri- seu quinquepartitis, laciniis trifidis, ovatis, acutis; pedunculis inferioribus geminis, petiolos aequantibus, superioribus confertis, petiolos superantibus; calyce hirsuto, dimidium petalorum aequante.

E planitie Patagoniae ad radicem Andium valdivianarum sita ramum attulit orn. Guill. Cox. — Planta certo humilis

paucos pollices alta. Internodia inferiora usque ad pollicem longa. Petioli inferiores $6^1/_2$ lin. longi; diam. laminae 8 lin.; folia superiora minus divisa, laciniis integris, lineari-oblongis, acutiusculis.

633. Cristaria argyliaefolia Ph. Cr. laete viridis, caule, petiolis, pedunculisque albo-hirsutis; foliis ambitu ovatis, subpalmatis, subbipinnatifidis, laciniis ovatis, obtusis, superiorum angustioribus; pedunculis axillaribus, folium superantibus; calyce hirsutissimo; corolla (sicca pallide lilacina) diam. 12 lin.

Prope Copiapó legit orn. Dodt. — In specimine, quod suppetit, e radice simplici, cinereo-fusca, sexpollicari, lineam crassa, annua?, caules tres, tripollicares surgunt. Folia inferiora petiolo 10 lin. longo insidentia, 15 lin. longa, 11 lin. lata, quinquepartita, lobo mediano reliquis multo longiore; lobi omnes pinnatifidi, laciniis fere lineam latis, brevibus, rotundatis. Folia superiora magis orbicularia, lobo mediano sc. breviore, folia *Argyliae* cujusdam referentia, omnia pilis stellatis albis hirsuta sed laete viridia sunt. Stipulae subulatae, lineam longae. Pedunculi primum breves, mox elongati, folium superantes. Calyx hirsutissimus, usque ad medium partitus, 3 lin. longus; laciniae lanceolatae. Petala duplo longiora. Fructus non adsunt.

634. Cristaria bipinnata Ph. Cr. incana, dense stellato-pubescens; foliis oblongis, bipinnatifidis; pedunculis axillaribus geminis, uno folio breviore unifloro, altero eo longiore, multifloro; calyce incano, longius pubescente; corolla (sicca alba) diam. 17 lin.

Prope Copiapó leg. orn. Dodt. — Specimen caulem pedalem, vix lin. crassum ostendit. Internodia folium aequant. Folium inferius petiolo 22 lin. longo insidens, 2—9 lin. lon-

gum, 13 lin. latum; pinnis sexjugis constans, quarum inferior deflexa; pinnae quadrilobae, late lineares, obtusae; in foliis superioribus pinnae trilobae; rhachis alata; nervus medianus latus, planus, utrinque linea prominente subalatus, quod valde singulare. Stipulae minutae, lanceolatae, 2 lin. longae. Pedunculi, ut in aliis speciebus dimorphi, unus sc. uniflorus, alter multo longior, apice racemosus. Calyx usque ad tertiam partem divisus, diametri 8 linearum; laciniae anguste lanceolatae. Fructus desideratur.

635. Cristaria Sadae Ph. Cr. laete viridis; caule foliis, pedunculisque hirsutis; foliis ambitu orbicularibus, quinquepartitis, lobis exterioribus trilobis, intermediis quinquelobis, laciniis linearibus, apice rotundatis, saepe recurvis; pedunculis axillaribus binis, superioribus folium fere ad bracteam reductum multo superantibus, uno uniflоro, altero 3—5-floro; calycibus hirsutissimis; corolla (sicca caerulea, centro alba) diametri 16 lin.

Etiam hanc speciem prope Copiapó lectam orn. Dodt debeo. — Ramus fere pedalis suppetit. Internodia longa, folium aequantia, inferiora etiam superantia. Folium medii caulis petiolo 21 lin. longo insidens, 18 lin. longum, totidem latum, fere usque ad ipsam basin partitum; lobi duo exteriores trilobi, interiores quinquelobi, fere pinnatifidi; laciniae recurvae (an individui nec speciei particulare?); folia superiora lacinias angustiores, minus incisas ostendunt, caeterum similia. Stipulae lanceolatae, fere 2 lin. longae. Pedunculi uniflori, 6—12 lin. longi; multiflorus communis usque ad 30 lin. longus, pedicellos 5—6 lin. longas gerit. Calyx vix ultra medium partitus, laciniis lanceolatis, diametri 8 lin. Fructus nondum adest.

Dixi in honorem amicissimi Ludovico Sada, Mediolanensis, qui plurimas plantas utiles et ornamentarias in rem-

publicam introduxit et agriculturam et horticulturam promoveus optime de nova patria meritus est.

636. Cristaria glandulosa Ph. Cr. annua, erecta, e basi ramosa; caule petiolisque glandulosis, haud pilosis; foliis stellato-tomentosis, viridibus, ambitu orbicularibus, quinquepartitis, laciniis pinnatifidis; stipulis haud ciliatis; pedunculis axillaribus, saepe geminis, folio multo brevioribus, uno nuifloro, altero circa 6-floro; floribus breviter pedicellatis; calyce longe setoso; corolla calycem bis aequat; ala carpellum vix superante.

Ex Andibus prov. Coquimbo loco dicto „Baños del Toro" lectam attulit orn. Volckmann. Specimen unicum suppetit. Planta vix pedalis, sordide viridis. Petioli saepe bipollicares, diameter foliorum circa 9-linearis; pedunculi multiflori, pedicelli inaequales, majores vix flore longiores; calycis segmenta in flore bilinearia, postea parum aucta, $2^1/_2$-linearia, angusta, fere linearia. Diameter corollae 4 — 5 lin. — Caule haud piloso facile ab affinibus distinguitur.

637. Aristotelia Maqui l'Hérit. var. *andina*, foliis magis coriaceis, late ovatis, magis dentatis, peracutis, patentibus; ramis novellis glaberrimis; fructu duplo fere majore.

In Andibus prope Concumen, locum prov. Aconcaguae, legit orn. Landbeck, et pro specie distincta declarat; ex mea sententia potius forma andina speciei communis. Folia ei 32 lin. longa, 21 lin. lata, in forma normali vero 34 lin. longa et solum 15 lin. lata.

638 a. Hypericum muscoides Ph. H. humile, ramosissimum, dense cespitosum, glaberrimum; foliis minutis, oblongo-linearibus, obtusis, punctatis, internodia aequantibus, superantibusque; pedunculis terminalibus uni- vel trifloris; foliolis calycinis apice rotundatis inaequalibus; petalis calyce minoribus.

Ad radicem Vulcani de Osorno dicti invenit orn. Cox. — Ramuli vix 2 1/2 poll. alti; folia modo 1 1/4 lin. longa, 1/2 — 2/3 lin. lata; foliola calycina foliis simillima. Rami plerique apice uniflori; pedunculus folia subaequans; corolla dimidium calycem aegre superans, lutea, dorso medio rubro tincta.

638 b. **Dinemagonum albicaule** Ph. An. Univ. Chil. 1861. 1. p. 44. — D. caule vellere argenteo obtecto subnudo; foliis distantibus, minutis, lanceolatis; racemis terminalibus, subtrifloris; petalis basi glanduloso-laciniatis, caeterum crispatis; sed fibris brevibus glandulosis nullis marginem cingentibus.

Prope Vallenar invenit orn. Volckmann. — Internodia pollicaria. Folia 2 1/2 — 3 lin. longa, pilis appressis dense obtecta, ideoque incana. Pedicelli 1 1/2 lin. longi bibracteolati. Diameter floris 7 lin. Samarae formam et magnitudinem illarum *D. Gayani* ostendunt, sed reticulata et profunde foveolata sunt, alae tamen laevissimae. — Differt a *D. Bridgesiano* (secundum descriptionem hujus) petalis pilos breves glandulosos in margine toto non exhibentibus, foliis minutis, floribus breviter pedicellatis; a *D. Gayano* caule argenteo, foliis minutis, distantibus, racemis paucifloris.

639. Observ. **Valenzuelia trinervis** Bert. inter Sapindaceas collocata, et *Quindilia trinervis* Gill. ad Xanthoxyleas relata eadem planta est. Cui nomini prioritas?

640. **Cissarobryum macrophyllum** Ph. C. *ramis filiformibus*, *pilosis*, *pilis patentibus*; foliis magnis, breviter petiolatis, *subtus niveis*, late ovatis, dentibus magnis, parum profundis, utrinque circiter quatuor; pedunculis axillaribus, filiformibus, subbinis, folio brevioribus; calyce lanato et setoso; petalis pallide caeruleis, siccis albidis.

In provinciae Colchaguae subandinis legit orn. Landbeck. — Caules vix pedales, folia usque ad 9 lin. longa,

totidem lata, supra viridia, hirsuta, subtus niveo-tomentosa; dentes longe minus profundi quam in *C. elegante*. Caules, petioli, pedunculique pilis patentibus hirti; calyces praeter tomentum niveum setis horridi, $2^1/_4$ lin. longi, laciniis angustioribus et magis elongatis quam in *C. elegante*, petala aliquantulum minora.

641. Cissarobryum parvifolium Ph. C. caule filiformi, pilis patentibus hirto; foliis minutis, supra hirsutis, subtus albo-tomentosis, ovatis profunde crenato-dentatis, dentibus utrinque binis; pedunculis folia superantibus, sicut calyx albo-tomentosis, setosis; petalis obscure violaceis.

In montibus elevatioribus prov. Colchaguae ad 5—7000 ped. s. m. invenit ornatissimus L. Landbeck. — Folia ad summum 3 lin. longa. Pubescentia omnino cum priore convenit, sed magnitudine foliorum, dentibus eorum, pedunculis elongatis, corolla obscure violacea differt. A *C. elegante* pubescentia, foliis minoribus, corolla violacea negotio aeque facili distinguitur. Diagnosis hujus speciei sic emendanda videtur;

Cissarobryum elegans, C. caule *puberulo*, foliis mediocribus, subtus cinereis late ovatis, profunde dentatis, fere incisis; dentibus obtusis; pedunculis folio *longioribus;* calyce albo-lanato et hirsuto; petalis calycem saltem bis aequantibus, pulchre caeruleis. — Folia c. 7 lin. longa, 5 lin. lata, dentes iis utrinque 2—3.

642. Viviania brevipedunculata Ph. V. caule ramosissimo, albo-tomentoso; foliis brevissime petiolatis, ovatis, integerrimis, supra fere viridibus, subtus albo-tomentosis; floribus terminalibus, demum roseis, c. 5—7; pedicellis plerumque calyce brevioribus; calyce viridi; petalis calycem bis aequantibus.

In prov. Santiago et Aconcagua locis subandinis legi. — Folia plerumque internodiis paullo longiora, majora 6 lin. longa, 4 lin. lata; calyces $3^1/_2$ lin. longi, laciniis peracutis etc. — An *V. roseae* varietas? Differt foliis haud distantibus, corymbi pauciflori, pedunculis abbreviatis, saepe calyce brevioribus.

643. **Tropaeolum nubigenum** Ph. Tr. caule procumbente, glaberrimo; foliis confertis, digitato-partitis, subseptemlobis; lobis oblongis, utrinque attenuatis; pedunculis petiolos aequantibus; calycis magni segmentis triangulari-lanceolatis, calcar tenue bis aequantibus; *petalis calycem vix aequantibus*, flavis vel rubellis, duobus majoribus emarginatis, augustis, cuneatis.

In Andibus prov. Santiago ad „Laguna de los Puiquenes“ circa 12 — 13000 ped. s. m. invenit ornat. Landbeck. — Specimina duo vidi. Habitus omnino *Tr. polyphylli* var. roseiflorae. Lobi foliorum 6 lin. longi, usque ad $3^1/_2$ lin. lati. Pedunculi 8—9 lin. longi, crassi, rigidi Calyx 8 lin. longus; segmenta ejus $2^1/_3$ lin. lata; calcar modo 3 lin. longum, teres, abrupte in calycem abit, nec sensim ampliatur, ut in *Tr. polyphyllo*. Petala omnia calyce paullo minora, cuneata, augusta, majora vix $1^3/_4$ lin. lata, profunde emarginata.

644. **Oxalis coquimbana** Ph. O. hirta, caule suffruticoso, brevissimo; foliis erectis, longissime petiolatis; foliolis ternis, obcordatis; pedunculis petiolos superantibus, apice dichotomis; floribus subsecundis, luteis; sepalis oblongo-linearibus, obtusis, corolla calycem ter aequante.

Prope Quanto in Andibus prov. Coquimbo legit ornat. Volckmann. — Caulis vix lineam crassus, lignosus, cortice rufescente hirto vestitus, multiceps; ramuli brevissimi;

squamae ad basin nullae. Folia numerosa; petioli 3 poll. longi, pilis brevibus patentibus hispiduli; foliola 3 ½ lin. longa, totidem lata, canescentia, iisdem pilis brevibus vestita. Pedunculi communes 4 ½—5 poll. longi, rami pollicares, 10—15-flori; bracteae et pedicelli lineam longi; calyx densius pubescens 1 ⅔ lin.; corolla 4 lin. longa, ante expansionem extus rubra.

645. Oxalis microphylla Ph. O. minuta, arcte caespitosa, pilis albis hirsuta; caule basi lignoso; petiolis elongatis; foliolis ternis, minimis, obovatis, vix obcordatis; floribus luteis, solitariis, subsessilibus.

In cordillera de Doña Rosa Andium Coquimbensium invenit orn. Volckmann. — Caespites densissimi; petioli 3 lin. longi, *foliola vix dimidiam lineam aequant*, ideoque omnium specierum chilensium minima. Corollae glaberrimae, diametri 4-linearis tubus superius ruber, petala extus rubro lineata; calyx vix ¾ lin. longus, sicut tota planta pilis longis, albis, mollibus vestitus.

646. Oxalis Berteroana Barn. var. *uniflora*. Frequentem in prov. Aconcagua ad cuprifodinam „del Lilen“ dictam inveni; praeter pedunculos unifloros a forma normali loculis capsulae trispermis, nec polyspermis recedit.

647. Maytenus andina Ph. Centur. nr. 24. — Jam postquam specimina magellanica conferre licitum erat; cognovi nihil esse nisi *M. magellanicum*.

648. Villarezia mucronata R. et P. Jam hic moneam *Citrum chilensem* Molinae nihil esse nisi *Villarezziam mucronatam*, uti alio loco docebo.

649. Colletia valdiviana Ph. C. aphylla, dense puberula; ramulis tenuibus, abbreviatis, in spinas mutatis, angulum satis acutum cum ramis formantibus; floribus fascicu-

latis, brevissime pedunculatis; calycibus brevissime pedunculatis albis, cylindricis, saepe quadrifidis; laciniis reflexis; staminibus saepe quatuor, exsertis.

In prov. Valdivia variis locis occurrit.

Spinae circa 9 lin. longae, multo tenuiores quam in affini *C. spinosa*, et angulum 45° cum ramis formantes, neque angulum 60° ut in illa, unde habitus valde alienus. Folia quae interdum adsunt, obovato-oblonga, brevissime petiolata, dentata, dentibus utrinque circa 5; circa 4 lin. longa, $2^1/_4$ lin. lata sunt. Calyces cum dentibus extensis $2^1/_2$ lin. longi, pedicellis vix $^1/_2$ lin. longis insident. — Differt a *C. spinosa* Lamk. praeter notas jam indicatas calyce minus profunde fisso, pedicellis filamentisque brevioribus, staminibus plerumque quatuor; a *C. feroce* Gill. et H. antheris exsertis, a *C. tetrandra* foliis ovatis dentatis, antheris exsertis; a *C. tomentosa* mihi pubescentia longe aliena, calycibus brevissime pedunculatis etc.

650a. **Colletia stipellacea** Ph. C. humilis, decumbens, spinosa, glaberrima; foliis oppositis, fere spathulatis, integerrimis, basi utrinque stipula persistente, parva, scariosa, triangulari, ciliata fultis; pedunculis solitariis, spurie lateralibus, elongatis; calyce longe tubuloso, quadrifido, albo; petalis staminibusque inclusis.

In Andibus depart. Illapel crescit; detexit orn. Volckmann. — Rami fusci, novelli virides, nitidi. Folia coriacea, majora $5^1/_2$ lin. longa, $1^2/_3$ lin. lata, trinervia, sed saepe nervi laterales aegre conspicui. Pedunculi in ramulis brevissimis terminales, solitarii, usque ad 6 lin. longi; calyx albus, $2^2/_3$ lin. longus, laciniis lanceolatis, obtusiusculis, apertis; petala squamaeformia, alba; antherae sub petalis fere occultae, sessiles. Fructus immaturus basi persistente viridi calycis stipatus, tricoccus; maturum non vidi.

651 a. Colletia discolor Hook. var. C. humilis, glaberrima, valde foliosa; foliis oppositis ovato-ellipticis, appresse serrulatis, in petiolum brevem attenuatis, coriaceis; pedunculis axillaribus, subgeminis, unifloris, brevibus, florem aequantibus.

In Andibus de Ranco dictis prov. Valdiviae c. 4500 ped. s. m. invenit orn. R. Pearce. — Differt a speciminibus magellanicis ramis valde foliosis, foliis parum discoloribus, pedunculis brevioribus.

651 b. Colletia? maytenoides Gris. Abh. der königl. Gesellsch. zu Götting. Vol. VI. *Sciadophila mayt.* mihi Cent. Jam hunc fruticem nihil esse nisi *Rhamnum diffusam* a cl. Clos secundum specimen anomalum descriptum mihi persuasum habeo. Fructus bacca nigra, succosa, insipida.

652. Colletia montana Ph. C. valde foliosa; foliis confertis, ovato-ellipticis, integerrimis, penninerviis, subtus puberulis; pedicellis florem album, pentamerum aequantibus; petalis nullis; staminibus e tubo exsertis, lacinias calycinas non aequantibus.

In Andibus praedii la Compañia dicti prov. Santiago crescit. — Habitus omnino *C. crenatae* Clos, in prov. Valdivia etc. communis, sed folia magis conferta, $8^1/_2$ lin. longa, 5 lin. lata, petiolo $^3/_4$ lin. insidentia, *integerrima*. Pedunculi plerumque terni e quavis axilla, $2 — 2^1/_2$ lin. longi.

653. Colletia Doniana Clos (Gay II. p. 36) eadem est atque *Ochetophila Hookeriana* Boiss. Num merito genus *Ochetophila* a Colletiis sejunctum? nonne plures Colletiae species foliosae huc referendae?

654 a. Retanilla glauca Ph. R. glauca, glaberrima; ramis brevibus, omnibus spinescentibus; foliis petiolatis, obovalibus, minutis; floribus racemosis ....; fructibus demum

glabris, ovato-globosis, diam. 5 lin., saepe abortu monospermis.

Prope Choapa frequens secundum orn. Landbeck, qui specimina attulit. Frutex $2^1/_2$-pedalis, ramosissimus, habitu *Colletiae spiniferae*. Rami sub angulo 70° divergentes, spinescentes, majores 20 lin. longi, $1^1/_3$ lin. crassi. Folia $2^1/_2$ lin. longa, ut in reliqnis, trinervia, interdum majora. Racemi 15 lin. longi. Calyx breviter campanulatus, extus pubescens. Facile distinguitur a *R. Ephedra* ramis brevibus crassis patulis, omnibus spinescentibus; fructu minore, ovato-globoso; in *R. Ephedra* fructus depresso-globosus, diam. 7 lin. A *R. spinifera* statim fructu duplo majore distingnitur.

654 b. **Retanilla crassa** Ph. R. laete viridis, aphylla; ramis elongatis, sparsis, $1^1/_2$ lin. crassis, apice spinosis; racemis subglobosis; floribus lutescentibus tomentosis; staminibus lacinias calycinales subaequantibns; fructu ....

In regione litorali prov. Santiago propc Algarrobo lecta fuit. — Frutex 6—8 pedes altus, qui cum brevi descriptione *R. Ephedrae* apud Gay II. p. 26 data satis bene convenit, sed collatis speciminibus valde differt. In nostro enim internodia 15 lin. longa, rami 6—12-pollicares, indivisi, duplo crassiores, propter internodia elongata distantes, unde habitus valde alienus. Calyx pallide flavus, minime rubescens, 2 lin. longus; crass. ejus $1^1/_2$ lin.

655. **Litrea montana** Ph. L. frutex glaberrimus, polygamus; foliis ellipticis, crassis, coriaceis, subintegerrimis, concoloribus, praeter nervum medianum *enervüs;* racemis breviter petiolatis, spicatis, axillaribus, vix dimidium folium aequantibus; floribus pentameris.

Ad radicem Andium prov. Santiago legi. — Frutex 8—10-pedalis. Rami cinerei, sicut tota planta, glaberrimi, etiam

novelli. Folia pollicem longa, 9 lin. lata, obtusa vel acutiuscula, crassa, coriacea, laete virentia, subtus vix pallidiora, petiolo 2—2 1/2 lin. longo insidentia, margine obscure crenata; *nervi laterales haud conspicui.* Racemi modo sex lin. longi glaberrimi. Flores parvi albidi; pedicelli corollam subaequantes. Flores masculini: petala 1 1/2 lin. longa; stamina decem, quinque petala superantia iisque alterna, quinque interiora petalis opposita iisque breviora; discus cupularis margine subdecemlobus, ovarium omnino abortivum. In floribus hermaphroditis (seu antheris effoetis femiuinis) petala vix 1 lin. longa, stamina decem, brevia, aequalia, sicut in ♂ e parte exteriore disci oriunda; ovarium pyriforme, stigmata tria. Fructum maturum non vidi. — Differt a *L. Molle* Gay II. p. 45 glabritie perfecta, floribus pentameris, foliis multo crassioribus etc., a *L. caustica* Mol. (Laurus) foliis eveniis, racemis brevibus etc.; *L. crenata* mihi foliis oblongis, acutis, glauco-cinereis etc. valde diversa.

656. Litrea montana? var. **patagonica** Ph. Ramulum fructiferum e planitie patagonica prov. Valdiviae opposita ab orn. G. Cox allatum tantum video. Folia paullo minora, paullo angustiora, et pedicelli duplo longiores, 2 1/2 lin. longi; diam. fructus fere 3 lin., putaminis 2 1/2 lin. Fructus pallide violaceus et putamen costatum ut in *L. Molle* Gay.

657. Litrea crenata Ph. L. glaberrima, glauca; foliis ovato-oblongis, appresso serrato-crenatis; nervis lateralibus vix conspicuis; racemis folio multo brevioribus; floribus pentameris.

In Andibus de oppido Chillan dictis, incolis *Litrecillo.* — Frutex 6—8-pedalis. Folia petiolo 3 1/2 lin. longo, superius bisulcato insidentia, coriacea, sed longe minus crassa quam in antecedente, majora 17 lin. longa, 9—10 lin. lata, ple-

rumque acutiuscula; margo basi integerrimus, a medio vel jam a tertia parte inde dentibus appressis, apice rotundatis armato. Nervi laterales utrinque sex, subtus haud conspicui. Racemi modo 6 lin. longi; pedicelli filiformes 1 $^1/_4$-lin., diameter floris ☿ 2-lin.; petala perangusta, fere linearia, obtusa. Stamina 10 brevia. Stigmata tria. — Flores ♂ fructusve non vidi.

658. **Duvaua dependens** DC. var. *patagonica?* Ramulum fructiferum e Patagonia a Coxio allatum servo. Incolis Patagonis *Muehi* audit. Folia angustiora, magis crenata quam in forma vulgari, fructus major, putamen nempe diametri 2 lin., cum in forma vulgari 1 $^1/_2$ lin. modo attingat, et compressum, nec globosum.

659. **Trigonella monspeliaca** L. In alveo fluminis Acancagua infra Sta. Rosa de los Andes satis frequentem legi.

660. **Trifolium Cromieri** Clos var.? Tr. repens, glabrum; petiolis plerumque elongatis; foliolis obcordatis, dentatis; stipulis parvis scariosis; pedunculis petiolos aegre superantibus, flores 3 — 15 subumbellatos gerentibus; calycis pubescentis dentibus lineari-lanceolatis, tubum subaequantibus; corollis purpureis tubum bis aequantibus.

In Andibus prov. Coquimbo, Santiago etc. reperitur. Polymorphum est, petioli jam 5, jam 17 lin. longi; foliola modo 2, modo 4 lin. longa et lata, dentes utrinque 6 ad 11, magis minusve acuti; pedicelli florum jam modo 1 lin., jam 3 lin. longi; flores jam densius aggregati, jam distantes, fere racemosi. A *Tr. Cromieri* vero, quod in prov. Valdivia frequens; pedunculis petiolo aequantibus (nec triplo longioribus) paucifloris differt; cum *Tr. megalantho*, cui dentes calycis breves et corolla calycem quater aequans, confundi non potest. *Tr. simplex* Clos petiolis longissimis, subcapillaribus, laciniis

calycinis tubo duplo longioribus etc., *Tr. rivale* Clos iisdem calycis notis differunt.

661. Phaca Cruckshanksii? Hook. et Arn. Gay II. p. 97. — Ph.? glabriuscula, caule ramoso, pedali; foliis elongatis, quinquejugis; petiolis fere usque ad medium nudis; foliolis elliptico-oblongis, retusis; stipulis membranaceis, concretis; pedunculis folium bis aequantibus, apice 5—8-floris; bracteis pedicellum superantibus, scariosis; calycis dense nigro-hirsuti laciniis fere setaceis, tubum aequantibus; carina calycem fere sesquies acquante, flava, apice violacea; alis carinam multo superantibus, flavis, medio violascentibus; vexillo alis parum longiore, apice violaceo; ovario albo-lanuginoso; legumine ....

Prope argentifodinam las Arañas in Andibus prov. Santiago legi. — Partes juniores totius plantae pilis satis appressis albis et nigris dense vestitae sunt, sed demum caulis et folia glabriuscula evadunt. Folia $3^1/_2$ poll. longa; foliola 5—6 lin. longa, 2 lin. lata; stipulae 4 lin. longae. Pedicelli $1-1^1/_2$ lin. longi, et calyces 4 lin. longi dense hirsuti, nigricantes. Vexillum 8 lin. longum. — An vera *Ph. Cruckshanksii* Hook.! corolla minime flavo-rubens. De magnitudine et proportione dentium calycis apud Gay altum silentium an etiam in Botan. Miscell.? quod opus consulere nequeo.

662. Phaca? quindecimjuga Ph. Ph. caulibus adscendentibus gracilibus, sparsim sericeis; foliis glabris elongatis, c. 15-jugis; petiolo in tertio inferiore nudo; foliolis oblongo-linearibus, obtusis, complicatis; stipulis membranaceis, oppositifoliis, infimis fere usque ad apicem concretis; pedunculis folia aequantibus, apice 5—7-floris; pedicellis calyceque pilis appressis plerisque nigris dense vestito; dentibus calycinis tubum subaequantibus; corolla magna, caerulea; legumine glabro, inflato? An. Univ. Chil. 1862. 2. p. 443.

In Andibus de Doña Ana dictis prov. Coquimbo in elevat. c. 4000 metr. s. m. invenit orn. Volckmann. — Suppetit ramus sexpollicaris. Internodia 5 — 6 lin. longa; petiolus tripollicaris; foliola 4 lin. longa, fere 2 lin. lata; stipulae $2^1/_2$ lin. longae. Pedicelli vix 1-lin., bractea paullo majore scariosa fulti. Corolla $7^1/_2$ — 8-lin.; carina apice obscure caerulea; alae vix dimidiam carinam aequant, obtusae, palide caeruleae; vexillum carina paullo longius, emarginatum, striatum, centro albidum, plerumque margine terminali caeruleo. Fructus immaturus unicus qui adest fere globosus.

663. Phaca Landbecki Ph. Ph. multicaulis, caulibus vix spithameis, erectis, sericeo-pubescentibus, striatis; foliolis 10— 12-jugis, incano-sericeis, obovato-oblongis, apice retusis, basi cuneatis; pedunculis elongatis, folia bis aequantibus, apice flores c. 10 gerentibus; calycibus nigro-pilosis, corolla ....; leguminibus ovatis, inflatis, duris, valde rugosis, fere 8 lin. longis, sutura ventrali valde prominente.

In Andibus prov. Colchagnae legit orn. Landbeck. — Habitus *Astragali vesiculosi* Clos (Gay II. p. 120. t. 17), qui mihi potius *Phaca* quam *Astragalus* videtur, sed pubescentia valde distincta. Folia usque ad 18 lin. longa, a basi foliolifera; foliola $3^1/_4$ lin. longa, $1^1/_4$ lin. lata, minus approximata, infima modo $1^1/_2$ linea a basi distantia; stipulae scariosae, late triangulares, ultra medium connatae. Pedunculi fere *tripollicares*; pars nuda eorum 2 poll. 4 lin. Legumina valde dura, $4^1/_2$ lin. lata, $5^1/_2$ lin. crassa, 8 lin. longa; semina circa 10, ut videtur, duplo majora quam in specie laudata.

664. Phaca oligantha Ph. Ph. caulibus erectis, subsimplicibus, pedalibus, pubescentibus, petiolis erectis, ab ipsa basi inde foliiferis; foliolis usque ad 15-jugis, linearibus,

cuneatis, retusis; stipulis minutis; pedunculis axillaribus, folium suum sesquies aequantibus, apice flores 4 — 8 gerentibus; calyce pilis nigris vestito; corolla ....; leguminibus ovato-oblongis, inflatis, rostratis, valde rugosis, fere 8 lin. longis.

In prov. Colchagua ad basin Andium invenit orn. Landbeck; Novembri jam defloruerat. — Caulis gracilis, sicut tota planta pilis appressis albis sat raris vestitus, striatus. Folia internodia subaequant; foliola 4 lin. longa, 1 1/4 lata; stipulae lanceolato-lineares, usque ad medium connatae, apice herbaceae, vix 1 1/2 lin. longae. Pedunculi satis graciles, 3 poll. et ultra longi; pedicelli lineam longi, bracteas subulatas aequantes. Dentes calycini subulati, tubum aequantes. Legumina 8 lin. longa, 2 1/2 lin. lata, 3 1/2 lin. crassa, valde rugosa, dorso plana, margine ventrali inflato, elevato, apice in rostrum rectum, fere lineam longum terminata.

665. Phaca elongata Ph. Ph. sericeo-pubescens, viridis; caule erecto, simplici?, foliolis circa 8-jugis, oblongo-linearibus, infimis paululum ab axilla distantibus; pedunculis valde elongatis, demum axillaribus; racemo elongato; calyce nigro-piloso; corolla e flavo et caeruleo variegata; legumine ....

In Andibus de Chillan dictis reperitur. — Rami, qui suppetunt, pedales, simplices. Folia internodia bis vel saepius ter aequant; petioli 2 — 2 1/2 poll. longi, foliola usque ad 6 lin. longa, 1 lin. lata, apice rotundata, basi sensim attenuata, primum 4—6 lin. a basi distantia; stipulae 2 2/3 lin. longae, ultra medium connatae, scariosae, pilosae, nervo mediano viridi. Pedunculi 7—9-pollicares, per 5—6 poll. nudi; flores satis distantes, pedicello lineam longo fulti; bracteae subulatae, pedicellum aequantes, margine scariosae. Calyx 2 lin. longus, sicut pedicellus pilis appressis nigris

vestitus; dentes tubum aequant. Corolla calycem bis aequat; alae vexillo parum breviores; carina saltem $^3/_4$ alarum aequat. Legumina immatura modo adsunt, nigicantia, pilis appressis albis sat dense vestita.

666. Phaca? concinna Ph. Ph.? suffruticosa, albido-pubescens; caule brevissimo, ramis adscendentibus; foliolis 8-jugis, oblongo-linearibus, obtusis, vix emarginatis; stipulis sat magnis, scariosis nervo mediano viridi, ultra medium connatis, triangularibus; pedunculis longissimis, folium $2^1/_2$ aequantibus, apice racemum sub-12-florum gerentibus; calycis nigropilosi dentibus subsetaceis, tubum aequantibus; corollae calycem bis aequantis vexillo obscure caeruleo, alis albis, carina alba apice caerulea; leguminibus ....

In montibus elatis praedii Catemu prov. Aconcaguae inveni. — Rami vix sexpollicares; folia 20 lin. longa; petioli quarta vel tertia pars nuda, foliola viridia, 4 lin. longa, $1^1/_2$ lin. lata; stipulae $4^1/_2$ lin. longae. Pedunculi cum racemo $4^1/_2$-pollicares; bracteae subulatae; calyx $2^1/_2$, corolla $6^1/_2$ lin. longa; alae obtusae carina longiores. A *Ph. amoenae* Ph. var.? differt foliis viridibus, calycibus floribusque minoribus, carinis viridibus stipularum etc.

667 a. Phaca? brachyptera Ph. Ph.? suffruticosa, multicaulis, humilis, albo-villosa, hirsuta; foliolis subdecemjugis, ovatis vel oblongis, obtusis, emarginatisve; stipulis usque ad medium connatis, scariosis, nervo mediano viridi; pedunculis erectis, longissimis, folium fere ter aequantibus, apice racemum 4—8-florum gerentibus; calyce hirsutissimo; carina magna, apice caerulea, alas albas superante, et vexillum caeruleum subaequante; leguminibus ....

Una cum priore legi. — Rami 6—8-pollicares, dense albo-villosi, folia pedunculique hirsuta. Folia 3-pollicaria,

vix in quarta parte nuda; foliola 4 lin. longa, $2^1/_2$ lin. lata, jam integra, jam emarginata; pedunculi 6 — 7-pollicares; flores $6^1/_2$ lin. longi. Species brevitate alarum a similibus distinguitur.

667 b. **Phaca Pissisi** Ph. An. Univ. Chil. 1861. 1. p. 46. Ph. annua, pubescens, subincana; caulibus erectis, foliosis, ramosis; foliis patentibus 8 — 9-jugis; foliolis oblongo-linearibus, obtusis; stipulis liberis, ovato-triangularibus, acutis, herbaceis, pilosis; racemis pedunculatis, folium bis aequantibus, demum laxiusculis; rhachi, pedicellis, calycibusque nigro-hirsutis; calycis ovati dentibus subulatis, tubum aequantibus; corolla ochroleuca (in planta viva omnino alba vix in coeruleum vergente); leguminibus ovatis, inflatis, basi attenuatis, substipitatis.

Chañarel in prov. Coquimbo; Volckmann; radix borealis montis de Chacabuco, ipse. — Caulis $^3/_4$ — $^1/_2$ ped. altus. Folia bipollicaria et majora, a basi foliolifera; foliola usque ad 8 lin. longa, 1 — $^1/_2$ lin. lata; stipulae $2^1/_2$ lin. longae. Racemi floriferi 4-pollicares; pars nuda pedunculi fere 3-pollicaris. Pedicelli $1^1/_2$ lin., calyx 3 lin., corolla 5 lin. longa. Legumen 9 lin. longum, 5 lin. latum. — Differt a *Ph. coquimbensi* H. et A. pubescentia minus densa, minus incana; foliis majoribus, patentibus; foliolis obtusis, imo apice rotundatis; pedunculis multo longioribus; pilis nigris pedicellorum et calycis.

668 a. **Astragalus Volckmanni** Ph. An. Univ. Chil. 1861. 1. p. 46. — *A. suffruticosus?*, pilis appresis albus incanus; caulibus erectis, teretibus, foliis internodia aequantibus vel superantibus, 5 — 6-jugis; petiolo fere a basi foliolifero; foliolis oblongo-lincaribus, obtusis; racemis elongatis, folio multo longioribus, primum terminalibus, demum

axillaribus; pedunculo usque ad medium nudo; calyce campanulato, brevidentato; corolla calycem bis aequante; vexillo alisque oblongo-lanceolatis flavis, carina obtusa, apice violacea; leguminibus ovato-oblongis, incurvis pendulis, circiter decaspermis; seminibus minutis, reniformibus, pallide fuscis, nigro-maculatis.

Loco dicto Camarones in prov. Atacama invenit orn. Volkmann. — Caulis qui suppetit pedalis; folia inferiora 18 lin. longa; foliola eorum 6 lin. longa, $1^1/_2$ lin. lata; stipulae parvae, vix 2 lin. longae, oppositifoliae, bidentatae. Racemi 20 — 30-flori sub anthesi $3^1/_2$-pollicares, fructiferi $4^1/_2$ poll. longi; calyx brevipedicellatus $1^3/_4$, corolla $3^1/_4$, legumen $5^1/_2$ lin. longum.

668 b. **Astragalus litoreus** Ph. A. fruticosus, ramosissimus, parce pubescens; foliolis 8 — 11-jugis, obovatis, profunde emarginatis, fere obcordatis; stipulis scariosis, mediocribus; racemis axillaribus, folium bis aequantibus; pedunculo ultra medium nudo; calyce pilis albis appressis vestito; corolla 5 lin. longa, e flavo et caeruleo varia; carina vexillum subaequante; alis brevioribus; legumine subfalcato, in stylum longum incurvum terminato.

In litore prope Coronel Februario 1861 invenit filius Fridericus. — Caulis basi lignosus diametri 2 lin.; rami numerosissimi, debiles, decumbentes, vix 1 lin. crassi. Folia 16 lin. longa internodia fere bis aequant; foliola majora fere 4 lin. longa, $2^1/_4$ lin. lata; primum par ab origine petioli 3 — 6 lin. distat. Stipulae omnino scariosae, vix 3 lin. longae. Flores 8 — 15 in quovis racemo, luteo-albi; carina apice violacea; vexillum violaceo-striatum. Legumen 10 lin. longum, $2^1/_2$ lin. latum. — Ab *A. procumbente* Hook. stipulis longe minoribus, foliolis fere obcordatis, pedunculis

brevioribus, leguminibus gracilioribus, stylo longiore terminatis satis differre videtur, ut ei speciei honorem tribuamus.

669. **Astragalus? Segethi** Ph. A. 24, sericeo-canescens, multicaulis; ramis tripollicaribus, basi foliatis; foliis subseptemjugis; foliolis oblongis, distantiam a basi usque ad primum par foliolorum aequantibus; stipulis dimidio brevioribus, late triangularibus, scariosis, usque ad medium connatis; pedunculis terminalibus elongatis, apice 5—8-floris; bracteis scariosis pedicellos brevissimos superantibus; calycis tubulosi pilis paucis, nigris, multisque albis vestiti dentibus subulatis, tubo parum brevioribus; floribus calycem bis aequantibus; carina obtusa, flava, apice violacea; alis oblongis, obtusis, flavis, carinam superantibus, et vexillum apice violaceum, striatum fere aequantibus; legumine ....

Prope argentifodinam Las Arañas in Andibus Santiaginis legi. — Folia basi valde conferta, circa 20 lin. longa; foliola 5 lin. longa, 1 lin. lata. Pedunculorum pars nuda 15 — 18 lin. longa; calyx 4, corolla 8 lin. longa. Tota planta pilis albis appressis vestita. — Differt ab *A. amato* Clos, Gay II. p. 115. foliis modo 7-jugis, nec 9 — 13-jugis, foliolis angustis, tubo calycis longo, alis carinam aequantibus.

670. **Astragalus? monticola** Ph. A.? 24, multicaulis, humilis, hirsutus pilis albis nigrisque mixtis; foliis subseptemjugis, oblongis, distantiam a basi usque ad primum foliorum par aequantibus, vel brevioribus; stipulis *viridibus, subherbaceis*, usque ad medium connatis, foliolum subaequantibus; pedunculis axillaribus, folium aequantibus, apice 5—8-floris; bracteis viridibus; calycis dense nigro-hirsuti laciniis tubo brevisculo longioribus; carina flava, apice violacea, alis flavis carinam aequantibus; vexillo apice violaceo, carinam cum alis superante, et calycem bis aequante, leguminibus ....

Cum priore unicum specimen legi. — Statim distinguitur hirsutie longe diversa, alis brevioribus, stipulis viridibus, subherbaceis. Folia 20 lin. longa; foliola 5 lin. longa, $1\,^1/_2$ lin. lata; calyx vix 3 lin. longus; vexillum 6 lin.

671. **Astragalus? Gilliesi** Ph. An. Univ. Chil. 1862. 2. p. 393. A.? suffruticosus, appresse pubescens; caulibus erectiusculis, debilibus; foliis suboctojugis, foliolis lineari-oblongis, obtusis; stipulis parvis, herbaceis, basi connatis; pedunculis folium bis vel ter aequantibus, erectis, apice 6—12-floris; bracteis scariosis, pedicellum brevem aequantibus; calycis pilis appressis nigris albisque vestiti dentibus angustis, tubo paullo brevioribus; corolla calycem $2\,^1/_2$ aequante, e flavo et caeruleo varia, alis carinam superantibus; legumine (immaturo glabro, haud inflato, maturo ...).

In Andibus Mendocinis in transitu Portillo de los Puiquenes dicto legit orn. Wenc. Diaz. — Multicaulis; caules sexpollicares, parum ramosi, modo $^2/_3$ lin. crassi. Folia internodia superant, 15 lin. longa, patula; foliola 4 lin. longa, vix $^3/_4$ lin. lata. Stipulae 2 lin. longae. Pedunculi 3—$3\,^1/_4$ poll. longi, crassitie caulis; pedicelli ad summum lineam longi. Calyx $2\,^2/_3$, corolla $6\,^1/_3$ lin. longa. Vexillum suborbiculare, vix emarginatum, centro flavum, margine pulchre caeruleum, striis nigro-violaceis etiam in centro flavo pictum; alae pallide flavae, $^2/_3$—$^3/_4$ vexilli aequant; carina brevis, vix tertia vexilli parte longior, flava, apice violacea.

672. **Astragalus Dodti** Ph. A. pilis appressis albis canescens; foliolis subnovemjugis, oblongo-linearibus, plerisque retusis, imo emarginatis; petiolo foliorum superiorum vix in quarta parte nudo; pilis albis nigrisque stipulas mediocres subscariosas obtegentibus; pedunculis folium fere bis aequantibus, apice capitato-spicatis; bracteis setaceis, dimidium

calycem aequantibus, et cum eo pilis nigris albisque onustis; corolla flava apice caeruleo-striata, calycem bis aequante, alis carinam fere bis aequantibus; legumine ....

Specimen floriferum ab orn. Dodt prope Copiapó lectum, fructiferum ejusdem speciei? ad Arqueros a cl. Gay. — Radix simplex, pallide fusca. Caules plures erecti, circa 9-pollicares, vix lineam crassi. Folia internodia superantia, usque ad 25 lin. longa; foliola 4 lin. longa, 1 lin. lata; stipulae 3 lin. longae, herbaceae, apice peracutae, ultra medium junctae. Pars nuda pedunculi 2—3 $^1/_2$-pollicaris, pars florifera 10-linearis (demum elongata?). Calyx campanulatus, brevissime pedicellatus, 2 $^2/_3$ lin. longus, basi et superius, sicut pedicellus, pilis nigris, apice et inferius pilis albis appressis dense vestitus; dentes tubum subaequant. Corólla 5 lin. longa; vexillum late ovatum, emarginatum; alae omnino flavae $^2/_3$ vexilli, carina apice caerulea vix $^1/_2$ vexilli aequat; ovarium dense sericeum. — Legumen in specimine Gayi appresse et sparsim sericeum, arcuatum, fere 10 lin. longum, vix ultra 2 lin. crassum, transversim reticulatum, ad suturam superiorem valde impressum; sutura inferior profunde inflexa.

673. Vicia modesta Ph. V. parce pilosa; foliis trijugis, anguste linearibus, truncatis, ante apicem serratis; stipulis semisagittatis, latiusculis, dentatis; cirrhis bifidis; pedunculis bifloris, folio brevioribus; calycis pilosi dentibus subaequalibus, tubo brevioribus; corolla caerulea, calycem bis aequante; leguminibus in sutura hirsutis, pentaspermis.

In praedio meo valdiviano invenit filius. Caulis debilis, 1 $^1/_2$-pedalis. Petioli in specimiuibus majoribus 15 lin. longi; foliola subopposita, 15 lin. longa, 1 $^2/_3$ lin. lata, apice truncata, tri- imo quinquedentata, et saepe utrinque infra apicem denticulus; folia breviora, latiora et alia longiora, angustiora

in eadem planta. Stipulae inferiores angustae, integerrimae, superiores latae, fere 2 lin. latae, exquisite bidentatae. Pedunculi 7 lin. longi, demum paullo longiores; pedicelli $1^2/_3$ lin. longi, calyx $1^1/_2$ lin., corolla $3^2/_3$ lin.; legumen immaturum 11 lin. longum, 2 lin. latum. — Differt a *V. dapanperata* Clos apud Gay foliis omnibus trijugis, cirrhis semper divisis, pedunculis folio brevioribus, bifloris; a *V. micrantha* Hook. cirrhis divisis, stipulis dentatis, foliolis apice truncatis, trimucronatis; a *V. Kingii* Hook. stipulis superioribus latis, dentatis, leguminibus ad suturam hirsutis; a *V. truncata* mihi foliis trijugis, non quadrijugis, stipulis superioribus latis dentatis, pedunculis bifloris non trifloris, leguminibus penta- non enneaspermis.

674. Vicia truncata Ph. V. glabriuscula; caule tenui; foliolis 6—8, exacte linearibus, apice plerumque emarginatis et trimucronatis, infimis basi petioli approximatis; cirrho plerumque bifido; stipulis semisagittatis, paucidentatis; pedunculis folium aequantibus, 2—3-floris; calycis hirsuti dentibus subulatis tubo brevioribus; corolla minuta, alba et caerulea; legumine lanceolato, glaberrimo sub-9-spermo.

E provincia Coquimbo specimen attulit cl. Volckmann. — Folia internodia subaequant et absque cirrho subpollicaria sunt; foliola fere 8 lin. longa, $^3/_4$ lin. lata. Pedicelli vix $^3/_4$ lin. longi; calyx cum dentibus $1^1/_4$ lin. longus; corolla 4 lin.; legumen 12 lin. longum, $2^2/_3$ lin. latum; semina (nondum perfecte matura) subglobosa, fusca, vix lineam diametro aequant.

675. Vicia Macraei H. et Arn. var. pedunculis elongatis? — Internodia modo 10—12 lin. longa; petioli bipollicares, foliola 11 lin. longa, 4 lin. lata (secundum cl. Clos apud Gay modo 4—7 lin. longa, 2 lin. lata); stipulae latae,

dentatae (in forma normali secundum eundem valde minutae, lineari-lanceolatae); pedunculi quadripollicares, ideoque petiolos bis aequantes (in forma normali petiolis breviores); dentes calycini supremi subulati, erecti, infimus longior, $^2/_3$ tubi aequans; vexilli apex in specimine sicco caeruleus sed inter alas occultus; caeterum flos e luteo-sulfureus est.

In Andibus de Linares dictis reperta fuit. — Ant *V. Macraei* valde polymorpha, aut plures species sub hoc nomine confusae. Sic v. gr. *V. Macraei valdiviana* semper flores roseo-purpureos ostendit.

676. Vicia lanceolata Ph. V. glaberrima; foliolis subdenis, exacte lanceolatis, mucronatis; stipulis magnis dentatis; pedunculis folia aequantibus; floribus ex albo-caeruleis.

In eodem loco atque antecedens colligi potest. — Internodia bipollicaria; petioli absque cirrho c. 2 poll. 4 lin. longi; foliola, ut in antecedente, 12 lin. longa, 4 lin. lata, sed propter formam lanceolatam valde diversa; flores fere 7 lin. longi, dentes calycini superiores et laterales latiores quam in *V. Macraei*. Legumen basi latius, versus apicem sensim attenuatum.

677. Vicia Leyboldi Ph. V. elata, glabriuscula; internodiis elongatis; foliis erectis; foliolis 9—10, ovato-oblongis, retusis, mucronatis; stipulis dentatis; pedunculis multifloris, folia aequantibus; floribus minutis, albidis; dentibus calycinis late triangularibus; praeter infimum setaceum, reliquis paullo longiorem.

In prov. Colchagua legit orn. Landbeck. — Planta primo adspectu glabra videtur, accuratius inspecta pilis appressis albis, satis raris pubescit. Stipulae ut in varietate *V. Macraei* supra descripta. Folia majora in petiolo $2^1/_2$ poll. longo sita, foliola pollicem longa, $4 — 4^1/_2$ lin. lata.

Calyx modo 1 2/3 lin., corolla modo 3 3/4 lin. longa, albida in apice carinae caerulea. Legumen immaturum 15 lin. longum; 4 latum; ejusdem formae atque in *V. Maoraei*. Haec speciei nostra similis, sed internodiis elongatis, foliis haud horizontalibus, floribus minutis facillime distinguitur.

678. **Vicia pallida** Hook. et Arn. varietas? *V. glabriuscula;* stipulis *subulatis*, calcare angustissimo, dimidiam stipulam aequante, dentibus calycinis superioribus vix latioribus, corolla alba, apice pallide caerulea, nec lutea; pedunculis circa 8-floris folium vix longitudine aequantibus nec fere duplo longioribus a descriptione *V. pallidae* in opere Gayi transscripta satis differre videtur; an species peculiaris? an color corollae ex specimine sicco vetusto desumtus? A *V. grata* mihi stipulis angustis, dentibus calycinis longioribus, angustioribus, foliolis vero latioribus ellipticis; a *V. Berteroana* mihi iisdem notis foliolisque nunquam emarginatis differt.

Prope Catemus in prov. Aconcagua legi.

679. **Lathyrus subandinus** Ph. L. 4, pubescens, canescens; caule angulato, striato; foliis omnibus unijugis; foliolis *oblongo-lanceolatis*, longe mucronatis, 3—7-nerviis; stipulis *sagittatis*, *latis;* cirrhis plerumque simplicibus; pedunculis elongatis, multifloris, folium ter aequantibus; dentibus calycis villosi tubum aequantibus; leguminibus hirsutis. An. Univ. Chil. 1862. 2. p. 444.

In radice Andium prov. Santiago frequens. — Caulis pedalis; petiolus communis 4—6 lin. longus; foliola 20 lin. longa; 5 lin. lata; stipulae 7 lin. longae, fere 4 lin. latae, *utrinque* basi lobo auctae etsi inaequilaterae. Flores 8 lin. longi, basi albi, vexillo pulchre caeruleo. — Diu pro varietate *L. macropodis* Gill. habui; donec specimen ab orn. W.

Diaz prope Mendoza lectum vidi; hic fere glaber, et foliis superioribus multijugis, foliolis usque ad 4 poll. longis, sed vix 5 lin. latis, stipulis angustis semisagittatis satis superque differt.

680. **Lathyrus setiger** Ph. L. 24, humilis, dense pubescens; caule angulato, striato; foliis breve petiolatis, unijugis, *seta terminatis*, internodia superantibus; foliolis lanceolatis, acuminatis, mucrone rigido; stipulis semisagittatis, lanceolatis, auricula alterna nubnulla; *pedunculis multiflоris folia vix superantibus;* corolla magna, rubro-alba, sicca caerulescente. An. Univ. Chil. 1862. 2. p. 444.

In Andibus prov. Colchagua ab orn. Landbeck lectus. — Rami multi, aeque longi, 6—8-pollicares e collo nascuntur. Foliis majoribus petiolus 6 lin., foliola 19 lin. longa, $3^1/_2$ lin. lata; seta quae petiolum terminat, nonnunquam in foliolum verum 4 lini longum, $^1/_3$ lin. latum convertitur. Stipulae 8 lin. longae, 2 lin. latae, auricula fere 3 lin. longa auctae. Pedunculi 15 — 22 lin. longi; bracteae lanceolatae fere 2 lin. longae, pedicellos aequantes, caducae. Calyx $4^1/_2$ lin. longus, late ovatus; dentes ut in affinibus. Corolla fere 10 lin. longa. — Species defectu omnium cirrhorum singularis a *L. subandino* praeterea pedunculis brevibus primo adspectu distinguitur.

681. **Lathyrus Volckmanni** Ph. L. debilis, glabriusculus, sparsim sericeo-pubescens; foliis cirrho simplici terminatis, superioribus bijugis, inferioribus unijugis; foliolis lanceolatis, linearibusque, acutiusculis; stipulis minutis, semisagittatis, lanceolatis; pedunculis folium bis aequantibus, bifloris; dentibus calycinis brevibus; floribus minutis. An. Univ. Chil. 1862. 2. p. 443.

In subandinis prov. Ñuble loco dicto Semita ad elevat. c. 160 metr. s. m. invenit orn. Volckmann. — Specimen

maximum 7 poll. longum, basi ramosum. Folia internodia semel vel bis aequantia, petiolum plerumque 4-lineatem, foliola majora 11 lin. longa, 2 lin. lata ostendunt, sed superiora ejusdem speciminis modo 6 lin. longa, 1 lin. lata. Stipulae 3 lin. longae. Pedunculi pollicares; pedicelli calyce subbreviores, ut videtur, bracteati. Calyx $1\frac{1}{2}$ lin. longus, dense sericeus; dentes inaequales, breves, vix dimidium tubum aequantes. Corolla vix 4 lin. longa, sicca alba et caerulea. Legumina non adsunt.

682. **Lathyrus crassipes** Ph. L. glabriusculus; caule alato; foliis unijugis; foliolis oblongo-linearibus; cirrhis trifidis, ramosis; stipulis latis, semisagittatis, petiolum aequantibus; pedunculo bifloro, crasso, petiolum bis aequante; floribus subsessilibus; calycis glaberrimi laciniis tubum superantibus; ovario glaberrimo.

In praedio meo valdiviano invenit filius Friderici. Caulis 1—2-pedalis sicut folia et cirrhi sparsim puberulus. Petioli $9\frac{1}{2}$ lin. longi; foliola 21 lin. longa, 5 lin. lata, apice rotundata, sed mucronata. Stipulae cum calcare pollicem longae, $4\frac{1}{2}$ lin. latae. *Pedunculi crassitie fere caulis*, 14—16 lin. longi, apice haud attenuati, sed mucrone inter flores terminati. Pedicelli basi articulati, vix 1 lin. longi; calyx 5 lin., corolla intense caerulea 8 lin. longa.

683. **Adesmia Smithiae** DC. var. *misera*. A. ⊙?, parvula, setis albis appressis vestita, incana; foliolis 3—4-jugis, oblongis s. convoluto-linearibus; stipulis minutis, herbaceis, liberis; floribus aliis fere radicalibus, axillaribus, aliis in apice ramulorum subracemosis, fere fernis; calycis infundibuliformis, pedicellum aequantis dentibus tubo aequilongis; corolla haud striata, calycem fere bis aequante; leguminibus 2—3-articulatis, muricatis, tomentosis; pilis fasciculatis plumosis nullis.

Ad Concumen in prov. Aconcagua ab orn. Landbeck lecta. Radix filiformis, simplex, alba, bipollicaris, e collo ramos multos dense foliatos, longiores, modo bipollicares emittit, ita ut habitus valde peculiaris sit. Folia petiolo $3^1/_2$ lin. longo, foliolisque octo, rarius sex, $1^1/_2$ lin. longis, 1 lin. latis, sed fere omnibus complicatis constant.

684. **Adesmia grandiflora** Gill. e numero plantarum chilensium expungenda videtur, etenim teste Werc. Diaz, solum in latere orientali Andium occurrit. Specimen quod ei debeo: racemo glanduloso neque „eglanduloso“ pedicellisque calycem aequantibus neque „triplo longioribus“ paullulum a descriptione in opere Gayi data differt.

685. **Adesmia arvensis** Ph. — A. suffruticosa, glabriuscula, eglandulosa; caulibus adscendentibus, supra indivisis, nudis; foliis elongatis, 6 — 10-jugis; petiolo usque ad medium nudo; foliolis oblongo-ellipticis vel obovato-ellipticis; stipulis herbaceis, linearibus, cum petiolo concretis, foliolum subaequantibus; racemo elongato, laxo, c. 12-floro; pedicellis bracteam bis vel ter aequantibus; dentibus calycinis brevibus, linearibus, obtusis, corolla calycem fere ter aequante, legumine triarticulato, juniore glaberrimo.

In praedio „Mariposa“ dicto prope Talca lecta fuit. — Planta glabriuscula apparet, etsi pilis brevibus appressis albis sparsis tecta; rami circa $1^1/_2$-pedales, basi vix $^3/_4$ lin. crassi, maxima ex parte denudati. Folia basi conferta, internodia circa bis aequantia; petiolus usque ad 22 lin. longus, setula terminatus; foliola $4^1/_2$ lin. longa, $1^3/_4$ lin. lata, saepe undulata, alia magis elliptica, alia magis obovata. Stipulae ad summum $3^1/_2$ lin. longae, fere usque ad medium cum petiolo connatae. Pedicelli $1^1/_2$ — 2 lin.; calyx valde oblique sectus, inferius fere 2, superius $1^1/_2$ lin. longus; corolla vix

4 lin. longa. Vexillum extus flavum, superius nigro-venosum, intus aurantiacum, centro nigro-venosum; alae luteae, basi pallidiores; carina pallida, apice haud violacea.

686. Adesmia ramosissima Ph. A. vix suffruticosa, multicaulis; caulibus erectis, ramosis, asperis, nigro-glandulosis, usque ad medium foliatis; foliolis 9—10-jugis, obovatis, subtus albo-hirsutis, interdum margine nigro-glandulosis; petioli parte quarta inferiore nuda; stipulis parvis herbaceis, fere omnino liberis; flores per racemos elongatos paniculatos laxe dispositi; calycis pedicellum subaequantis, albo hirsuti et nigro-glandulosi dentibus tubo brevioribus; corolla calycem vix bis aequante; vexillo striato; legumine triarticulato, pilis longis plumosis vestito.

Prope Concumen in prov. Aconcagua invenit orn. Landbeck. — Radix 2 lin. crassa, albida. Rami pedales, vix lineam crassi, a medio inde ramificati et aphylli, excepta basi glandulis nigris asperi. Folia inferiora internodia aequantia, superiora iis breviora, c. 10 lin. longa; foliola majora $4^1/_2$ lin. longa, fere 2 lin. lata, sed (in speciminibus siccis saltem) complicata; stipulae fere 2 lin. longae, triangulares, modo basi cum petiolo connexae. Pedicelli bracteam superantes, vix $1^1/_2$ lin. longi, calyx parum longior. Vexillum extus albo-hirsutum, violaceo-striatum, imo fere omnino violaceum; carina apicem versus violacea, caeterum pallide flava; alae citrinae. Legumina 5 lin. longa.

687. Adesmia denudata Ph. A. suffruticosa, multicaulis; caulibus erectis, basi viscido-pubescentibus, mox glaberrimis glaucis, nudis, apice ramosis; foliis fere omnibus subradicalibus, glandulis flavis obsitis, glutinoso-hirsutis; petiolis in tertia parte nudis; foliolis 5—6-jugis, obovatis, mucronatis; stipulis lineari-lanceolatis, cum petiolo basi con-

natis; floribus per racemos longos dispositis; calycis glaberrimi, pedicellum vix aequantis, dentibus tubo multo brevioribus, acutiusculis, dense ciliatis; corolla calycem bis aequante; vexillo violaceo striato; leguminis triarticulati articulo primo nudo, reliquis pilos plumosos gerentibus.

Prope Concumen prov. Aconcaguae leg. orn. Landbeck. ♃ Radix 2 lin. crassa et basis caulis lignosae, fuscae. Stipulae confertae, lineae, in basi caulis persistentes, sed non vaginantes. Petiolus seta terminatus, ad summum 12 lin. longus; foliola $3^1/_2$ lin. longa, vix 2 lin. lata, in speciminibus siccis complicata, valde mucronata. Racemi sat densi, multiflori, 5—6 poll. longi. Bracteae minutae, setaceae, longe ciliatae; pedicelli inferiores 12, superiores modo $1^1/_2$ lin. longi. Calyx late campanulatus, $1^1/_2$ lin. longus; corolla $2^1/_2$ lin. longa, legumen 5 lin. — Ab *A. stipulacea* Clos apud Gay II. p. 164. ramis minime nigro-punctatis, corolla calycem longe excedente; ab *A. micronata* Hook. et Arn. petiolo modo a tertia parte nudo, foliolis longe brevioribus (in *micronata* 5—10-lineares dicuntur), racemis multifloris etc. differt.

687 b. **Adesmia glandulosa** Ph. Ab. Univ. 1861. 1. p. 47. A. fruticosa, viridis; ramis basi pilos albos, patentes, deinde pilos breves, fulvos, glandula fusca terminatos gerentibus; foliis paucis, ad basin ramorum sitis, parvis, coriaceis, subbijugis; foliolis obovato-orbicularibus, integerrimis; stipulis magnis, trapezoideis, demum in bracteas transformatis; racemis elongatis, laxis, bracteosis; bracteis binis, transverse ovatis, magnis; calyce praeter glandulas stipitatas pilis albis hirsuto, laciniis ejus satis acutis; corollae magnae vexillo extus nigro venoso; leguminibus . . . .

Loco Aguà de la Viscacha dicto in prov. Atacama invenit orn. Volckmann. — Ramus qui suppetit insigniter

flexuosus; primum internodium modo 6 lin., suprema 18 lin. longa. Folia hispida, 6 lin. longa; foliola $2^1/_2$ lin. longa, $2^1/_4$ lin. lata. Stipulae $3^1/_2$ lin. latae, $2^1/_2$ longae, oblique acuminatae, auricula magna truncata munitae, ideoque trapezoideae, sensim in bracteas transformantur, quae semiorbiculares, denticulatae. Flores 9 — 12 lin. inter se distantes, ultra 20 in quovis ramo; pedicellus $3^1/_2$ lin.; calyx valde oblique sectus, inferius $2^1/_2$ lin.; vexillum fere 5 lin. longum. Differt ab *A. bracteata* H. et A. foliis bijugis, foliolis integerrimis etc., et ab *A. aphylla* Clos foliis floribusque longe majoribus, pedunculo glandulis stipitatis aspero etc.

688. **Adesmia capricornu** Ph. An. Univ. Chil. 1862. 2. p. 393. — A. fruticosa; ramis gracilibus, albis, sparsim spinosis; foliis fasciculatis, 3 — 4-jugis cum impare, pilis brevibus appressis albis tectis, canescentibus; foliolis obovalibus; racemis elongatis, demum spinescentibus; floribus longius pedicellatis; calycis late campanulati dentibus tubo brevioribus; corolla extus pilis albis hispida; legumine ....

Prope Melocoton in prov. Mendoza legit orn. W. Diaz, ubi Cuemo de Cabra sicut aliae species spinosae vocatur. — Rami $1^1/_2$-pedales suppetunt, cortice laevi albido vestiti et $1^1/_2$ lin. crassi sunt. Ramuli elongati, dichotome spinosi, (sed spinae pleraeque e racemis ortae sunt) 18 — 24 lin. longi, valde graciles. Folia ad summum sex lin. longa; foliola ovata vel obovata, vix 2 lin. longa, et vix linea latiora. Racemi 7 — 14-flori, laxi; pedicelli filiformes, $2^2/_3$ lin. longi; calyx 2 lin. longus; corolla $3^1/_2$ lin. Vexillum extus flavum, nigro-venosum, et centro pilis longis albis vestitum, intus pulchre aurantiacum, centro nigro-striatum; carina flavo-albida, basi pariter albo-setosa; alae aurantiacae. Legumina desiderantur.

689. **Adesmia Volckmanni** Ph. A. fruticosa, spinosa, glabriuscula; foliis 3 — 4-jugis; petiolo usque ad medium nudo; foliolis oblongo-ovatis, pilos appressos, albos parce gerentibus; floribus terminalibus, racemosis, circa 10; pedunculo communi in spinam abeunte; pedicello calycem aequante; corolla calycem bis aequante; legumine .... An. Univ. Chil. 1862. 2. p. 445.

Locis S. Francisco et Invernada dictis prov. Talca ex elevat. c. 20 — 70 metr. s. m. invenit orn. Volckmann. — Frutex quantum e speciminibus judicare licet humilis sed ramosissimus; rami 3 — 4 poll. longi. Folia, quae plerumque internodia superant, petiolo 6 — 7 lin. longo, setula terminato, foliolisque 3 — 3 1/2 lin. longis, 1 1/2 lin. latis, basi cuneatis, oblongo-ovatis, acutis, fere mucronatis constant. Stipulae minutae, lineari-subulatae. Racemi c. 18 lin. longi, jam ab initio spina terminati. Pedicelli inferiores 2 — 2 1/4 lin. longi, bractea dimidio breviore fulti. Calyx late campanulatus, pilis albis appressis vestitus, dentibus linearibus, tubum superantibus. Vexillum aurantiacum, nigro-venosum; alae aurantiacae, concolores; carina flava.

690. **Adesmia Landbecki** Ph. A. basi lignosa, multicaulis; caulibus ramosis, decumbentibus, basi stipulis imbricatis tectis, hirsutis, supra cum pedicellis et calyce glandulis nigris tectis; petiolis usque ad medium nudis, apice setiferis; foliolis hirsutis, suboctojugis, oblongo-cuneatis, apice rotundatis, mucronatis; stipulis cum petiolo connatis, lanceolatis; racemis 12 — 15-floris, demum laxis; pedicellis fructiferis patentibus, calycem bis aequantibus; bracteis ovatis, parvis; dentibus calycinis late triangularibus, tubum subaequantibus; corolla calycem bis aequante; leguminibus biarticulatis, articulis rugoso-muricatis, primo glabro, secundo pilis plumosis brevibus obsitis.

In Andibus prov. Colchagua circa 5—7000 p. s. m. invenit ornat. Landbeck. — Caules vix pedales; folia internodia multo superant, usque ad 31 lin. longa; foliola 4—5 lin. longa, 1 2/3—2 lin. lata; pedicelli floriferi vix 2 1/2 lin., fructiferi 5—6 lin. longi; calyx 2 lin., diam. articulorum leguminis 1 1/2 lin.

691. Adesmia Schneideri Ph. A. fruticosa, ramosissima, spinosa, pilis appressis vestita; ramis valde intricatis; foliis confertis, solitariis, internodia plerumque bis aequantibus, incanis; petiolis a medio folioliferis; foliolis 3—4-jugis, obovato-oblongis, cuneatis; pedunculis terminalibus, subquadrifloris, demum spinescentibus; pedicellis elongatis, calycem bis vel ter aequantibus; calycis eglandulosi tubo elongato, dentibus lanceolato-subulatis, tubum vix aequantibus, legumine 3—4-articulato, longe plumoso.

Pariter in Andibus prov. Colchagnae invenit Landbeckius; dixi in honorem amici Doctoris Herm. Schneider, medici in oppido S. Fernando. — Rami 4—6-pollicares, incani, sed spinae dichotomae virides. Stipulae herbaceae, cum petiolo connatae, angustae, parte nuda petioli multo minores; petiolus 6—7 lin. longus, et saepe brevior; foliola 3 lin. longa, 1 1/2 lin. lata. Ad basin spinarum folia simplicia, lanceolata. Pedicelli 5 lin. longi, bractea vix lineam longa fulti; calyx fere 4 lin. longus; corolla calycem fere bis aequat; vexillum pubescens. — Primum pro *A. trijuga* habui, sed pubescentia nostrae minime tomentosa, folia haud fasciculatim congesta, foliola 3 nec 1 lin. longa etc.

692. Cassia misera Ph. flor. Atacam. Specimen e semine ortum in horto amicissimi Segeth floruit. Pedunculi in apice ramorum axillares, folia paullo longiores. Bracteae setaceae ad basin pedicellorum et interdum in medio eorum.

Flores nutantes. Calyx apertus; sepala ejus e luteo-virescentia; subaequalia, oblongo-ovata, obtusa, convexa, majus 4-lineare. Corolla patens; petala paullulum inaequalia, duo inferiora majora, magis approximata, omnia apice rotundata, satis convexa, ungue brevi fixa; inferiora 5 lin. longa, 3 lin. lata. Stamina 9, nempe 5 petalis opposita, quatuor inter petala superiora sita, decimum inter petala inferiora quaerendum deficit; tria superiora minora, et fil videtur efforta, erecta, quatuor mediana horizontalia, duo longiora cum ovario deflexa. Differentia longitudinis praesertim ab antheris pendet; filamenta subaequalia sunt.

693. Cassia foliosa Ph. C. fruticosa, glaberrima; foliolis minutis, circa 9-jugis, ellipticis, membranaceis, supra aveniis, margine revolutis; glandulis conico-filiformibus inter paria duo inferiora; pedunculo communi folio breviore; floribus ....; leguminibus crassiusculis 8 — 12-spermis. An Univ. Chil. 1862. 2. p. 379.

In valle de Chillan dicta c. 3 — 4000 ped. s. m. paucos frutices inveni. — Frutex 4 — 5-pedalis. Rami juniores pilis brevibus appressis vestiti. Stipulae lineares, dimidium foliolum acquantes. Folia 3-pollicaria; foliola 6 lin. longa, 3 lin. lata. Pedicelli pollicem longi. Legumina stipitata, modice compressa, 2 — 2½ poll. longa, 5 lin. lata.

694. Cassia Alcaparra Ph. C. fruticosa, vix puberula; foliis fere a basi folioliferis; foliolis 4 — 6-jugis, coriaceis, subaveniis, aliis oblongo-ellipticis, apice rotundatis, superioribus plerumque oblongo-lanceolatis, acutis, mucronatis; glandula conica inter par infimum; stipulis lineari-setaceis, pedunculis axillaribus, corymbosis, circa 6-floris, demum foliúm superantibus; bractois caducis; leguminibus compressis, utrinque marginatis.

Prope Illapel frequens, incolis „Alcaparra", sicut aliae hujus generis species. Attulit orn. Landbeck. — Frutex quinquepedalis. Foliola valde coriacea, penninervia, nervis utrinque subquaternis, supra omnino non conspicuis, infra parum prominulis, recentia fere carnosa; forma valde variabilis; inferiora trijuga, usque ad 12 lin. longa, 6 lin. lata, apice rotundata, mucronata, pleraque vero 5 — 6-juga, superiora usque ad 15 lin. longa, modo 4 lin. lata, acuminato-mucronata; omnia glaberrima, sed margine et in nervo mediano ciliata. Stipulae setaceae 1 1/2 lin. longae. Bracteae caducae; pedicelli inferiores 13 lin. longi. Calycis foliola obtusa, 3 lin. longa; petala 5 lin. Antherae duae majores. Legumen paullo arcuatum, stipitatum, 28 lin. longum, 3 lin. latum, valde compressum, marginatum, 12-spermum, junius pubescens. — A *C. acuta* Meyen bracteis caducis etc., a *C. obtusa* Clos apud Gay II. p. 235 foliis duplo majoribus, carnoso-coriaceis nec „membranaceis" differt.

695. Prosopis Alpataco Ph. Pr. fruticosa; spinis stipularibus mediocribus; foliorum pinnis unijugis; foliolis 12 — 18-jugis, approximatis, linearibus, obtusis, sub lente hirtellis; spicis dimidium folium aequantibus; *staminibus* exsertis, *petala bis aequantibus*. An. Univ. Chile 1862. 2. p. 394.

In prov. Mendoza frequens, ubi incolis „Alpataco"; fructus amarus, inutilis; communicavit ornat. W. Diaz. — Spinae ramorum biennium in specimine quod suppetit 7 lin. longae. Petiolus communis 1 — 1 1/2-pollicaris, setula terminatus; rhachis pinnarum 2 1/2 poll. longa; foliola 5 lin. longa, internodia bis aequantia. Spicae 1 1/2 — 2 1/2-pollicares, breviter pedunculatae calycesque pubescentes. Corolla vix 2 lin. longa, intus albo-villosa. Filamenta 3 lin. longa, stylum aequantia. Legumen ....

Distinctio specierum hujus generis mihi obscura. In *Prosopide* provinciae Coquimbo (*flexuosa* β. var. foliolis 15—18-jugis ?), stamina corollam aequant; sed in illis quas prope Caldera legi stamina pariter exserta, sed foliola multo longiora. *Pr. Siliquastrum* DC. in prov. Aconcagua et frequentissima foliola duplo longiora (9 lin. longa), rhachin 4-pollicarem, spicam glaberrimam, filamenta modo 2 lin. longa, corollam 1 ½ lin. longam habet, ideoque facile distinguenda est.

696. Tetraglochin caespitosum Ph. T. fruticosum, *caespitosum*, ramis brevissimis; petiolis persistentibus; vix spinescentibus; foliolis minutis, linearibus, *dense hirsutis*, margine revolutis; floribus ....; fructibus ....

In planitie patagonica, Andibus valdivianis adjacente invenit orn. Cox. — Non solum habitu caespitoso ramisque brevissimis sed etiam foliis hirsutissimis a *T. stricto* Poep. valde differt. Ramus major speciminis modo 18 lin.; petioli 5 lin. longi, usque ad medium vagina aneti; foliola vix 1 ½ lin. longa, ½ lata.

697. Acaena Coxi Ph. A. caule erecto, glabriusculo angulato, striato; foliis pannosis, argenteo-pubescentibus, flavescentibus; foliolis 5—7-jugis, confertis, subimbricatis, ovatis, profunde serratis, dentibus utrinque circa 3; floribus spicatis? ...; fructibus ....

Pariter de planitie patagonica ad radicem Andium Valdivianarum sita orn. G. Cox attulit. — Habitus *A. splendentis* Hook. et Arn. Caulis 9—12-pollicaris, basi 2 lin. crassus, ibique ramos breves, confertefoliosos emittens. Folia caulina usque ad 20 lin. longa; stipulae 4 lin. longae; foliola 4—4½ lin. longa, 3¼ lin. lata, infima minuta, subintegerrima.

698. Acaena digitata Ph. A. caule erectiusculo, superius subnudo; foliis pannosis, sericeo-lanatis, *digitatis*, ad basin caulis confertis; foliolis quinis, cuneato-oblongis, subintegerrimis; floribus in spicam laxam, elongatam dispositis; fructu globoso-ovoideo, dense tomentoso, aculeis glochidiatis armato. An. Univ. Chil. 1862. 2. p. 445.

In Andibus de Linares dictis orn. Germain, Cerro de Castro, Lemitu, Invernada orn. Volckmann invenit. Caulis basi lignosus, vaginis foliorum dense vestitus, plerumque 6—8 poll. altus. Foliorum petiolus ad summum 15 lin. longus. Foliola majora 9 lin. longa, 5—6 lin. lata, acuta, apice dentata seu integerrima; caulina suprema et floralia subsessilia, e foliolis linearibus, 5 lin. longis, 1 lin. latis constant. Flores magni, saepe pentameri, imo heptameri. Laciniae calycinae ultra 2 lin. longae, intus glaberrimae, luteo-virides, extus sericeae, cum fructu excrescentes. Fructus nondum perfecte maturus jam 5 lin. longus, fere exacte idem atque in *A. splendente*. — Cum hac specie praeterea foliis pannosis argenteis convenit, sed foliis digitatis, quinatis, subintegerrimis, longe magis sericeis facile distinguitur. — *A. integerrima* Gill. mihi solum ex opere Gayi nota secundum textum latinum foliola octona „foliola quadrijuga", secundum hispanum modo quaterna („las hojas están parte das en cuatro hojuelas") habet.

699. Acaena incisa? Lindl. — A. erecta, pubescens; foliis 6—7-jugis; foliolis infimis integerrimis, sequentibus trifidis, suprenis quinquefidis; floribus axillaribus, suprenis capitatis; staminibus 4—7; fructibus ....

In prov. Maule legit orn. Volckmann. — Suffruticosa. Caulis pedalis, erectus, pubescenti-villosus. Folia inferiora 18 lin. longa; pars vaginans intus pulchre crocea, margine villoso-ciliato; foliola majora 4 lin. longa, supra aeque atque

infra villoso-pubescentes; laciniae lineares. Flores jam a tertia caulis parte incipiunt. Calycis laciniae in eodem specimine jam virides, jam atro-purpureae, quod vix ab aetate floris pendet, ovato-oblongae, fere $1\,^3/_4$ lin. longae. — Staminibus numerosis ab *A. pinnatifida* Clos apud Gay II. p. 283, sub qno nomine *A. pinnatifidam* R. et P. cum *A. incisa* Lindl., *andicola* Gill. et *myriophylla* Lindl. — male ex mea sententia — conjungit, primo adspectu differt; fructus eheu! non adsunt.

700. Acaena ovalifolia R. et P. var.? an species nova *A. valdiviana* dicenda? — Acaena in prov. Valdivia frequentissima, quam pro *ovalifolia* R. et P. habui (et idem fecit cl. Clos apud Gay), forte species distincta. *A. ovalifolia*, quae secundum auctores in Peruvia crescit, planta *villosa* est, folia ei supra *glabra*, utrinque dentibus acutis 5 armata, foliolum maximum $7\,^1/_2$ lin. longum; aculei 2 et 4 fructus aequales, breves, fructum aequantes sunt.

Planta valdiviana vero *canescens* est, et solum petiolus et nervi foliorum subtus pilos longiores gerunt, qui parum in oculos cadunt; foliola ad summum $3\,^1/_2$ lin. longa, glochidia inaequalia, duo longa, duo brevia sunt. Ex comparatis speciminibus forte aliae differentiae invenientur. Secundum cl. Clos *A. ovalifolia*, frequens in planitie Araucanorum, ad „Osorno, Chiloë, in provinciis borealibus, Santiago, Aconcagua occurrit usque ad fretum Magellanicum. Nec minus communis in Peruvia imo in rep. Ecuador est, ubi secundum Hookerum in elevatione 12000 pedum crescit.“ — Neque ego neque assistentes mei unquam talem in provinciis Santiago vel Aconcagua invenerunt, et paucissimas species Peruviae siccissimae et provinciis meridionalibus chilensibus pluvia copiosissima celebribus communes esse credo. Neque in Andibus provinciarum borealium plantae valdivianae crescunt,

quia aridissimi et siccissimi sunt. Sic verbi gratia in Florula atacamensi praeter plantas cosmopolitas, vel ab Europa introductas, et plantas aquaticas, vix ullam speciem valdivianam invenies.

701. Acaena oligacantha Ph. A. pilosiuscula, caespitosa; ramis erectis; foliis subradicalibus 3—7-jugis; foliolis ovatis quinquepartitis, laciniis ovato-oblongis, obtusis; floribus sessilibus, in spicam interruptam dispositis; fructibus magnis, globosis, spinis magnis, paucis, subquinqueseriatis armatis.

In Andibus prov. Santiago legit orn. Landbeck. — Caules 9-pollicares. Folia 15 lin. longa; foliola 4 — 5 lin. longa. Fructus globosus, subquinquecostatus; spinae basi haud dilatatae, modo duae in qnavis costa, diametrum fructus bilinearem sesquies vel bis aequant. — Habitus, squamae nigrae basin caulis obtegentes etc. ut in *A. Poeppigiana* vel *macrocephala*. A priore facillime fructibus majoribus, spinisque eorum longioribus; a *macrocephala* fructibus duplo minoribus, globosis, sessilibus, costis spinisque paucioribus distinguitur.

702. Acaena leptacantha Ph. A. hirsuta; caule brevi, erecto; foliis minutis, confertis; foliolis radicalium 5—8-jugis, confertis, ovatis; 5—10-partitis; laciniis linearibus obtusis; floribus paucis subpedunculatis, in spicam interruptam dispositis; fructibus magnis villosis, spinisque setaceis, diametrum fructus superantibus undique armatis.

Cum *A. macrocephala* a cl. Gay in Andibus Talcaregui lecta confusa jacebat. — Specimen quod suppetit sexpollicare; folia radicalia 14 lin. longa, foliola 4 lin. longa; caulis praetersa foliis parvis, internodia aequantibus, appressis, pinnatifidis ornatus est, quorum lobi 3—5-lineares; inte-

gerrimi. Fructus octo, distantes, 5 lin. longi ut in *A. macrocephala*, quacum habitus convenit, sed loco spinarum validarum basi dilatatarum spinis setaceis basi teretibus, tenuibus armati et praeterea dense villosi sunt.

703. Acaena calcitrapa Ph. A. pilosiuscula; caulibus strictis, basi foliatis; foliis erectis, 6—10-jugis; foliolis ovatis, usque ad 13-partitis, laciniis anguste linearibus; floribus sessilibus, in spicam demum valde elongatam dispositis; fructibus parvis, ovatis, multicostatis; spinis inaequalibus, subternis in quavis costa, diametrum fructus longitudine bis aequantibus.

In Andibus de Linares et de Talcaregue dictis crescit. — Specimen fructiferum in montibus Talcaregue lectum caulem bipedalem ostendit; specimina florentia in montibus de Linares lecta caules 9—10-pollicares. Folia prioris 7 poll. longa, foliola fere 9 longa. Habitus omnino *A. pinnatifidae*, sed fructus valde diversus. Antherae jam luteae, jam nigrae. — Forte una alterave specierum hic descriptarum cum *A. incisa* Lindl., *A. andicola* Gill. vel *A. myriophylla* Lindl. eadem, quod ii dicant, quibus Botanical Register inspicere licet.

704. Acaena pumila Ph. (Ancistrum). A. suffruticosa, pumila, sericea; ramis 2—3-pollicaribus; foliolis bijugis, oblongo-ellipticis (supremorum foliorum vero angustis cuneatis), inciso-dentatis, dentibus utrinque circa 4; floribus in capitula terminalia, globosa, diametri $2^1/_2$ lin. congestis, basi pilis aureo-fulvis cinctis; laciniis calycinis caducis; spinis quatuor subaequalibus, fructum aequantibus.

In Andibus de Ranco dictis, et quidem in prato quodam c. 4500 p. s. m. elevato invenit ornat. R. Pearce. — Folia 9 lin. longa; foliola $2^2/_3$ lin. longa, $1^1/_2$ lin. lata, subtus et

margine hirsuto-setosa. Pedunculi folium unum alterumve gerunt. Laciniae calycinae ovatae, apice brevissime barbatae, caeterum glabrae. Antherae parvae, subglobosae, purpureae, flore breviores. Fructus ovati. Pili ad basin florum vel inter eos articulati, illis filicum quarundam simillimi, mollissimi. Bracteae spathulatae hirsutae.

705. Poterium Sanguisorba L.

Jam prope Tome et in aliis locis prov. Concepcion spontaneum factum et pro pabulo nomine „pasto negro“ satum.

706. Sphaerostigma ramosissimum Ph. Sph. lignosum, ramosissimum, polyphyllum, polyanthes; foliis filiformibus hirtellis; ovariis folio longioribus, petala ter aequantibus; stylo stamina minora superante, petala *ovata* dimidia aequante, staminibus majoribus breviore.

Prope Concumen in prov. Aconcagua Januario florentem invenit orn. Landbeck. — Caulis pedalis, a basi ramosissimus, lignosus, flores plus quam sexcentos gerit. Folia 6 1/2 lin. longa, vix 3/4 lin. lata, ut videtur integerrima, omnia margine revoluta, pilis brevibus sicut caulis hirtella. Ovarium 5 1/2 lin., petala 1 1/2 lin. longa. — Magnitudine florum cum *Sph. tenuifolio* Bert. convenit, sed habitus, caulis lignosus, tempus florendi valde diversi, nec petala staminua majora triplo superant; a *Sph. heterophyllo* Spach foliis angustioribus integerrimis, pubescentia, petalis minime „flabellatis“ etc. pariter satis differre videtur.

707. Oenothera grandidentata Ph. O. pulverulento-puberula, subglabrata; foliis sessilibus, superioribus semi-amplexicaulibus, ovato-oblongis, ovatisve, longe acuminatis; dentibus magnis; tubo calycis ovarium ter, lacinias calycis bis aequante; petalis fere 3/4 tubi calycinalis aequantibus; capsulis cylindricis, brevibus, sulcatis.

Prope Caldera ipse specimen florens, prope Purén in prov. Arauco cl. Gay specimen fructiferum. — In utroque specimine caulis modo 7-pollicaris, basi demum epidermide albà nitida, secedente obtectus. Folia internodia superant, 17 lin. longa, 6 lin. lata; dentes utrinque 4 — 5; in specimine Gayi, magis adulto, glabra, in meo puberula, hirtella. Fructus 7 lin. longus, $1^1/_2$ lin. crassus; tubus calycinalis 12 lin. longus, sepala 7, petala $8^2/_3$ lin. — Foliis basi late amplexicaulibus cum *O. coquimbensi* Gay II. p. 331, et *O. bracteata* mihi convenit, a priore floribus triplo majoribus (petala *O. coquimbensis* vix 3 lin. longa); a *bracteata* foliis inferioribus jam latis, omnibus valde dentatis, pubescentia, capsulis dimidio brevioribus etc. satis superque differt.

708. Oenothera bracteata Ph. O. caulibus erectis, hirsutis; foliis pubescentibus, inferioribus linearibus, in petiolum attenuatis, denticulatis; floralibus ovatis, semiamplexicaulibus; tubo calycis ovarium et lacinias aequante; petalis flavis, calycem aequantibus. An. Univ. Chile 1862. 2. p. 394.

Prope Llico in litore prov. Colchagua orn. Landbeck; in transitu Andium portillo de los Piuquenes dicto orn. W. Diaz invenit. — Caulis 2 — 3-pedalis, basi $2^1/_2$ lin. crassus; interdum plures ex eadem radice. Folia inferiora in caule florente emarcida, 3 poll. et ultra longa, $2^1/_2$ lin. lata, in petiolum attenuata, intermedia 2 poll. longa, 4 lin. lata; floralia 15 lin. longa, $6^1/_2$ lin. lata, subintegerrima, magis glabrata, fere venosa. Flores in apice caulis conferti, pallide flavi. In flore recens aperto ovarium, tubus calycis, segmenta ejus, petala aequalia, 6 lin. longa, priora pilis mollibus; densis pubescenti-hirsuta. Capsulae maturae longius hirsutae; pollicares. — Specimen Diazi etsi minus completum non differre videtur.

709. Oenothera odorata? Jacq.

E planitie patagonica, quae ad radicem andium Valdivianarum, orn. Cox summitatem *Oenotherae* attulit. Tota planta pilis patentibus valde hirsuta, etiam folia. Haec ovato-lanceolata, peracute denticulata. Ovarium 7, tubus 8, laciniae calycinales 9, petala 11 lin. longa. — *O. odorata* Jacq. secundum prodromum DeCandollei pubescens, neque hirsuta, eique folia *subdentata*, undulato-crispa tribuuntur. Forte planta patagonica nova species, quae tamen ex hoc fragmento describi non potest.

710. Boisduvalia andina Ph. B. humilis, e basi ramosa, dense pilosa; foliis confertissimis, sessilibus, inferioribus oppositis, linearibus, parce dentatis, floralibus latioribus, imo ovatis, acuminatis, integerrimis; calycis tubo ovarium superante, laciniis linearibus erectis, tubo subbrevioribus; corolla alba demum purpurea, calycem fere bis aequante; staminibus styloque longitudine calycis; stigmatibus filiformibus elongatis.

In Andibus de Linares dictis invenitur. Radix fusca, 4-pollicaris; caulis 3—4-pollicaris, plerumque e basi ramosus. Tota planta pilis mollibus, albis, in caule patentibus dense vestita est. Folia inferiora 12 lin. longa, 1 1/4 lin. lata, suprema floralia 5 1/2 lin. longa, fere 3 lin. lata. Calycis tubus longitudine variat; 1 1/2 — 3 lin. longum inveni; corolla vix 4 lin. longa est. Stamina 8 fertilia. Capsula folio suo minor. — Differt a *B. concinna* magnitudine minore, stylo stamina aequante, stigmatibus longioribus etc.

711. Epilobium glaucum Ph. E. herbaceum, glaberrimum glaucum; caule elato, simplici aut ramosissimo, tereti; foliis plerisque oppositis, sessilibus angustis lanceolatis; margine dentibus argutis, distantibus, appressis munito; petalis

bilobis; calyce duplo majoribus; stigmate indiviso, clavato, stamina majora aequante; capsula glaberrima.

Per magnam reipublicae partem occurrit. — Differt praeter colorem glaucum ab *E. denticulato* R. et P. caule vix suffruticuloso, glaberrimo, floribus purpureis nec roseis, capsula glaberrima; ab *E. tetragono* L. caule glaberrimo, foliis angustis, capsulis glaberrimis; ab *E. pedicellari* Presl foliis fere omnibus, inprimis basalibus, oppositis, caule capsulaque glaberrimis; ab *E. nivali* Meyen foliis dentatis, caule elato etc.

712. Epilobium nubigenum Ph. E. glaberrimum, erectum, glaucum; caule humili, simplici; foliis crassis, linearibus, exquisite denticulatis, omnibus oppositis; capsulis breviter pedicellatis.

In Andibus de Chillan dictis inveni. — Caulis quadripollicaris, basi rubens. Folia conferta, in axilla gemmam foliaceam foventia, intermedia 11 lin. longa, vix $1^1/_2$ lin. lata, superiora peracuta, fere integerrima, reliquis dentes utrinque 3 — 5. Pedicelli 3 — $3^1/_2$ lin. longi; capsulae 15 lin. longae, $^2/_3$ lin. latae. — Ab *E. glauco* foliis linearibus nec lanceolatis, caule humili, ab *E. nivali* Meyen foliis angustis etc. a *pedicellari* Presl foliis omnibus oppositis, ovario glaberrimo differt.

713. Lythrum albicaule Bert. Mscr. Gay. vol. II. p. 368 nomine *L. Graefferi*. Loco citato legis, cl. Bertero erravisse cum pro nova specie habuerit, sed ego potius cl. Gay errare credo, qui cum *L. Graefferi* confundit. Hoc, secundum Gussone Flora sicula I. p. 537 stamina duodecim, dentes calycinos subulatos clausos ostendit; speciei chilensi vero stamina sex, calyx apertus, dentibus brevibus, haud subulatis terminatus, folia minora et color glaucus est. In opere

Gayi de staminibus altum silentium! — Specimina alia stamina longe exserta stylum vero inclusum, alia contra stylum longe exsertum et stamina inclusa habent, ita ut absque accuratiore examine planta dioica esse videatur.

714. Eugenia colchaguensis Ph. Eu. ramis novellis compressis paginaque inferiore foliorum ellipticorum in petiolum attenuatorum ferrugineo-velutinis; pedunculis axillaribus, uniflоris, folium subaequantibus, nec non bracteis subulatis persistentibus calycibusque tomentosis; floribus ....; baccis globosis.

In provincia Colchagua legit orn. Landbeck. — Frutex 8—10-pedalis; rami cinerei, novelli lutescentes. Folia majora fere 11 lin. longa, $5\frac{1}{2}$ lin. lata, in petiolum attenuata, elliptico-cuneiformia, obtusa. Diam. baccae immaturae 3 lin. Fructus omnes quotquot examinavi ab insecto quodam intus comesi erant, ita ut numerum seminum indicare nequeam.

715. Eugenia corralensis Ph. Eu. erecta, ramulis novellis foliisque pubescentibus; foliis lanceolato-oblongis, utrinque aequaliter attenuatis, acutiusculis; pedunculis axillaribus, folium aequantibus, trifloris; bracteis bracteolisque parvis, subulatis; ovario turbinato, villoso.

Prope Corral detexit indefessus Krause. — Frutex orgyalis; folia majora 18 lin. longa, 6 lin. lata, petiolo fere lineam longo insidentia, penninervia, subtus pallidiora, sparsim punctata; sepala ovata, vix 1 lin. longa; petala sepala bis aequant; filamenta iis circa sequies longiora; flos intermedius sessilis, lateralium pedicellus $3\frac{1}{2}$—4 lin. longus.

716. Eugenia patagonica Ph. Eu. orgyalis, ramulis compressis, glabris; foliis oblongis, utrinque aequaliter acuminatis, punctatis; pedunculis solitariis, unifloris, folio brevioribus; bracteolis persistentibus, linearibus; dentibus caly-

cinis in fructu triangularibus; petalis . . .; staminibus; bacca di- vel trisperma.

Ad lacum Nahuelhuapi invenit orn. Cox. — Varietates duas attulit: a) *microphyllam*, b) *macrophyllam*. In priore folia majora 14 lin. longa, $3^1/_2$ lin. lata, in hac 22 lin. longa, 7 lin. lata; valde coriacea sunt; nervus medianus infra haud prominet, supra vero sulcus ejus valde conspicuus, etiam nervi laterales subtus aegre conspicui, supra sulcis tenuibus indicantur. Petiolus more solito brevissimus, sensim in laminam abiens. Pedunculi in utraque varietate modo 4 lin. longi, solitarii, in axilla opposita nullus. Flores non adsunt. Diameter fructus fere maturi $3^2/_3$—3 lin.; in varietate grandifolia bracteolae $1^1/_2$ lin. longae. Semina formae solitae. — Foliorum forma particulari haec species ab affinibus chilensibus facili negotio distinguitur.

717. Loasa illapelina Ph. L. intricato-volubilis, urens; epidermide laxa, nitide fulva; foliis alternis, petiolatis, oblongis. basi truncatis, fere 9-lobis, lobis acute et profunde dentatis, supra verrucosis, setosis, subtus pilis brevibus verticillato-glochidatis; floribus paniculatis, albis, diam. 10 lin.; calyce brevi; squamis albidis, extus maculis tribus rubris notatis, apice bifidis.

Specimina duo ab orn. Landbeck prope Illapel lecta suppetunt. Caulis valde intricatus, $1^1/_2$ lin. crassus, carnosus; post exsiccationem epidermis laxa nitida a systemate lignoso contracto valde distat. Pili majores urticati $1^1/_2$ lin. longi, patentes, cum aliis quadruplo brevioribus, varios glochidum verticillos gerentibus mixti, qui in foliorum pagina inferiore valde conferti. Folia petiolo 7-lineari insidentia, 15 lin. longa, 11 lin. lata; utrinque lobis subtribus acutis, iterum acute lobulato-dentatis munita; longe acuminata;

suprema floralia sessilia minuta, triloba, lobis angustis, dentatis. Pedunculi axillares, 3—5-flori, 1—1 1/2-pollicares; pedicelli ad basin bracteati; c. 4 lin. longi. Laciniae calycinae lineares, 2 1/2 lin. longae; petala 5 lin. longa, formae solitae; extus pilis urticatis, pilisque verticillato-glochidatis onusta. Squamae 2 lin. longae, e maculis citrinis rubrocinctis baseos pilum emittunt, intus ante apices corona ciliata vestitae sunt. Ante eas stamina sterilia tria, basi sensim dilatata; reliqua filamenta capillaria, aeque longa, 3/4 petalorum aequantia. *Ovarium omnino superum*, breve pyramidatum, setis et pilis glochidatis dense obsitum, trivalve. Semina pauca, valde rugoso-tuberculata. — Differt a *L. alba* Don (secundum Gay) caule haud canescente, foliis haud palmatis, laciniis calycinis corollam non superantibus; a *L. intricata* Gay II. 455 foliis petiolatis, lobis calycinis petala haud aequantibus, a *bryoniaefolia* Schrad. foliis alternis etc.

718. **Loasa malesherbioides** Ph. L. erecta, humilis, ramosa, subcymosa; setis urticantibus, distantibus hispida; foliis *alternis*, petiolatis, ovato-oblongis, repando-dentatis; pedunculis elongatis, extraaxillaribus; ovario semigloboso, praeter setas majores aculeis verticillatis glochidatis densissime obtecto; sepalis linearibus obtusis, ovarium fere superantibus et petala alba aequantibus.

In Andibus prov. Coquimbo loco dicto Baños del Toro invenit orn. Volckmann. — Species valde insignis, habitus alieni Malesherbiae. Tota planta modo quadripollicaris, annua. Radix alba, simplicissima. Folia inferiora petiolo 10 lin. longo insidentia, 12 lin. longa, 7 lin. lata, haud cordata, dentibus circa 5 utrinque, seminalia integerrima, suprema floralia seu, si mavis, bracteae, linearia, subsessilia integerrima. Pedunculi inferiores pollicares, superiores sensim breviores. Laciniae calycinae 2 1/4 lin. longae. Petala cucullata,

margine vix fimbriata. Squamae luteae, petaloideae, apice bidentatae, appendices exteriores filiformes, subclavatae, apicem squamae haud aequant, internae cum squama haud cohaerentes, filiformes, apice dilatatae. Antherae virides. Stylus longitudine sepalorum. Folia pilis brevibus articulatis obsita; pili breves, erecti, verticillis confertis glochidum armati, qui inter setas majores ovarium tegunt valde singulares.

719. **Blumenbachia Domeykoana** Ph. B. pilis urticantibus hispida; caule erecto, elato, dichotomo; foliis petiolatis, ovatis, cordatis, septemlobis, grosse dentatis, supremis conformibus sessilibus; floribus nutantibus, in dichotomia ramorum subsessilibus, albis; capsulis elongatis.

In Andibus Tinguiririca legit orn. W. Diaz.— Ramus qui suppetit ultra pedalis, planta igitur saltem bipedalis videtur; cortex lucidus, firmus. Petiolus folii infimi 15 lin., limbus $3^1/_2$ poll. longus, $3^1/_4$ latus, internodium dimidium paullo superans. Diameter floris 12 lin.; longit. sepalorum elongato-lanceolatorum, integrorum $3^1/_2$ lin.; squamae virides, apice truncatae, laciniis tribus exterioribus filiformibus, albentibus, interiore pariter filiformi, longiore. Capsula elongata, fere obconica, 12 lin. longa, $3^1/_2$ lin. crassa. — Frutex caule elongato cum *Bl. Espiñeirae* convenit, cui folia longe diversa, superiora nempe (ut in *Bl. insigni*) bipinnatifida; *Bl. sylvestris* caule scandente, foliis ellipticis, nec cordatis, *Bl. Prietea* caule subnullo, floribus luteis etc. satis superque differunt.

720. **Calandrinia calycina** Ph. C. annua, pilis simplicibus albis hispida; caule erecto, simplicisculo; foliis radicalibus confertis, angustis, linearibus, caulinis distantibus, sensim brevioribus; floribus purpureis, capitatis, diam. 3—4 lin., nonnullis in axillis superioribus sessilibus; calycis villo-

sissimi, excrescentis foliolis tridentatis, exteriore fere latiore quam longo.

In prov. Aconcagua variis locis, Catemu, Cuesta de Chacabuco etc. legi. — Caulis sexpollicaris, interdum plures ex eadem radice; folia radicalia 18 lin. longa, 1 lin. lata, caulina 3 ad 7, ultimum, jam florem in axilla fovens, lanceolatum, modo 7 lin. longum, sed 2 lin. latum. Foliolum exterius calycis 4 lin. longum, $4\frac{1}{4}$ lin. latum, internum aequè longum sed modo 3 lin. latum. Capsula lanceolata, vix calyce longior; semina laevissima, nitidissima nigra. — Variat foliolis calycinis minus dilatatis, interno integro.

720b. Calandrinia prostrata Ph. C. e collo radicis simplicis ramos multos prostratos, filiformes, glabriusculos emittens; foliis linearibus, basi attenuatis, appresse setosis; floribus in apice ramorum cupitato-glomeratis, demum pedicellatis; calycis dense hirsuti foliolis ambobus apice truncatis, tridentatis.

In subandinis prov. Santiago et ad montem de Chacabuco legi. — Radix alba, in speciminibus maximis vix 1 lin. crassa et subramosa. Rami 5—8 poll. longi, ad summum $\frac{3}{4}$ lin. crassi, pilis paucis, elongatis aspersi. Folia internodia subaequantia aut paullo superantia, majora 10 lin. longa, 1 lin. lata, basi attenuata, setis appressis tecta, sed viridia; setae in basi patentes ideoque magis conspicuae. Glomeruli florum diam. 4—5 lin. Calycis foliola $1\frac{2}{3}$ lin. longa, $1\frac{1}{3}$ lin. lata. Corolla purpurea. Capsula matura calycem parum superans, 2 lin. longa; semina castanea, nitidissima. Pili simplices. — Differt a *C. calycina* mihi ramis plurimis, decumbentibus, glabriusculis, flore et calyce minore etc.

721. Calandrinia erythrocoma Ph. C. annua, pilis scabris hispida; caule erecto, simplici, paucifoliato; foliis

radicalibus confertis, rosulatis, linearibus, obtusissimis, sensim in petioli speciem attenuatis; floribus capitatis, purpureis; *calyce pilis longissimis purpureis* apice albis *vestito*, foliolis integris?

In monte Cuesta de Chacabuco locis apricis inveni. — Radix alba, simpliciuscula. Caulis circa 5 poll. longus, plerumque simplex; folia radicalia 18 lin. longa, 1 1/2 lin. lata; summa involucrantia, angustiora, minora; foliola calycina 1 1/2 lin. longa, pilis 1 1/2 lin. longis dense vestita, mihi integra, haud dentata visa sunt. Corolla calycem aequat; stamina pauca 3 — 5. Plantula propter comam purpuream capituli valde elegans.

722. **Calandrinia Landbecki** Ph. C. annua, ramosissima; caulibus glabriusculis; foliis linearibus, hirsutis, basi attenuatis; floribus minutis, roseis, plurimis, pedicellum aequantibus; calycis hirsutissimi foliolis latioribus quam longis, apice tridentatis; capsula oblonga, diu corolla tecta.

In prov. Colchagua detexit orn. Landbeck. — Radix alba, ramosa. Rami caulini vix sexpollicares, ramosissimi, sicut pedunculi et pedicelli fere glabri. Folia viridia, majora fere 9 lin. longa, 1 lin. lata. Flores racemosi; pedicelli capillares, bilineares; calyx fere 1 1/2 lineas longus, pilis albis hirsutissimus; bracteae foliis similes, pedicello breviores. — An *C. ramosissima?* sed haec rufo-pilosa dicitur et pedicelli breves ei adscribuntur; mensura pedicellorum eheu? desideratur.

Specimina omnino glutinosa, calyce glabriusculo distincta varietatem sistere videntur.

723. **Calandrinia polyclados** Ph. C. annua aut biennis, glaberrima, ramosissima; ramis erectis, basi foliosis, supra nudiusculis; foliis rhombeis, longissime petiolatis; flori-

bus numerosissimis, per racemos ramosos dispositis; bracteis parvis, ovatis, scariosis, nigro-venosis; pedicellis 4 lin. longis; foliolis calycinis late ovatis, fere membranaceis, atro-purpureo pictis.

In prov. Colchagua legit idem orn. Landbeck. — Radix alba, ramosa, $2^1/_2$ lin. crassa, caules numerosos, basi ramosos, $1 - 1^1/_2$-pedales, erectos emittit. Foliorum inferiorum petiolus 15 lin. longus, lamina 9 lin. longa, 4 lin. lata; folia medii caulis ejusdem formae sed minora; pars superior ramorum in racemos floriferos divisa, saepe dichotoma et aphylla. Bracteae inferiores vix $1^1/_4$ lin. longae, superiores minores. Sepala 3 lin. longa, 3 lin. lata. Corolla .... Stamina c. 15; stylus elongatus, stigmata brevissima, lutea. Capsula oblongo-conica; semina opaca, granulata, nigra, albo-marmorata.

724. Calandrinia floribunda Ph. C annua, multicaulis; caulibus ramosis, 3 — 4-pollicaribus, glabriusculis, viscidulis; foliis linearibus, obtusis, pilosis, inferioribus in petiolum sensim attennatis; pilis appressis, albis; floribus parvis purpureis, subracemosis; pedicellis folium florale subaequantibus, capsulam aequantibus; calyce valde glutinoso, ciliato, vix piloso; laciniis obovatis, truncatis, tridentatis; seminibus laevissimis.

Prope Llico, in parte litorali prov. Colchagua reperit orn. Landbeck. — Radix simplex, 2 — 3-pollicaris, alba, superius rubra. Caules multi ex eadem radice, tripollicares, ab ultimo tertio inde floribus c. 20 onusti, fere filiformes, basi glaberrimi. Folia inferiora internodia subaequant, $4^1/_2$ lin. longa, vix $^1/_2$ lin. lata, suprema $1^1/_2$ lin., imo 1 lin. longa, semper basi attenuata, inferiora parum angustiora. Pedicelli $1^1/_2$ lin. longi. — Differt a *C. trifida* Hook. et Arn. panicula racemiformi; foliis obtusis, seminibus laevissimis.

725. **Monocosmia? verrucosa** Ph. M.? caule flaccido, ramoso; foliis oppositis, oblongo-linearibus, basi attenuatis, sessilibus; foliolis calycinis transverse ovatis; capsula trivalvi, *disperma*; seminibus *grosse verrucosis*.

In provincia Colchagua ad aquas crescit. — Caulis quippetit 8-pollicaris. Folia tenuia, membranacea, $7^1/_2$ lin. longa, 2 lin. lata. Pedicelli fere $1^1/_2$ lin. longi, paullo longiores quam in *M. corrigioloide*. Calyx $^2/_3$ lin. longus, foliola ejus fere 1 lin. lata. Corolla parva, alba. Capsula subglobosa. — *M. corrigioloidi* habitu simillima.

726. **Paronychia mutica** Ph. P. lignosa; caulibus caespitosis, prostratis, glabris; foliis linearibus, brevissime mucronatis, hirtis, setuloso-ciliatis; lobis calycinis hirtis, muticis, bracteas subaequantibus.

Prope los Molles in parte litorali prov. Aconcaguae invenit orn. Landbeck. — Radix 3 lin. crassa, fusca, lignosa. Caules plurimi ex eadem radice, prostrati, usque ad 6 poll. longi, virides, glabri. Folia 4 lin. longa, 1 lin. lata, hirtella et praesertim setulis brevibus ciliata. Stipulae lacerato-ciliolatae. Flores secus ramos glomerati, glomerulis folia aequantibus. Bracteae calyce parum longiores. Sepala ovata, extus dense hirto-pubescentia, omnino mutica, margine scariosa. Petala aut nulla aut minima. Stamina quinque. — Differt a *P. arbuscula* Gay II. p. 520 (quam noudum vidi) staminibus 5 non 8, calyce hirto nec glabro etc. a *P. coquimbensi* ejusd. p. 521 ramis glabris, viridibus, sepalis obtusis, muticis etc.

727. **Paronychia appressa** Ph. P. subligiosa, ramosissima, ramis *erectis*, caespitosis; pilis albis, reflexis eos vestientibus; internodiis brevibus; stipulis et foliis *erectis* linearibus, longe acuminatis, ea multo superantibus; glome-

rulis florum axillaribus, folio brevioribus; bracteis calyces superantibus; sepalis puberulis, mucronatis; petalis nullis, staminibus 5.

Prope Illapel crescit, unde specimina attulit orn. Landbeck. — Habitus valde alienus. Radix 3 lin. crassa, valde lignosa. Rami omnes modo bipollicares, erecti, fere fastigiati, valde intricati. Internodia fere nunquam 2 lin. superant. Stipulae 3 lin. longae. Folia omnia *erecta*, imo appressa, 4 1/2 lin. longa, 1/2 lin. lata, margine et in utraque pagina hirta, ciliata. Glomeruli florum foliis et bracteis breviores. Flos subsessilis, sicut in reliquis 1 lin. longus.

728. **Eulychnia** *) **acida** Ph. E. arboriformis 20-pedalis, basi lignosa, quadripedali; costis 13 — 17, aculeis in verrucis ....; calyce pilis brevissimis ad squamas vestito, subnudo.

Frequens prope Illapel et Choapa, incolis „Tuna de Cobado.“ — Flos ad vivum ab orn. Landbeck depictus est. Calyx 21 lin. longus, diam. 15 lin., squamis 10—12-seriatis, superioribus media linea rubra notatis, in axilla pilos brevissimos, facile pratervidendos, nigros fovente. Petala, extus rosea, linea mediana viridi, intus pallidissime rosea biseriata, circa 10 in quavis serie. Stylus ut videtur longior quam in *E. breviflora* Flor. atac., et praesertim stigmata longiora, magis expansa. Stamina longitudine styli. Fructus fere globosus, diametri 2 poll., valde acidus. Semina .... Truncus secundum Landbeck ramosissimus; systema lignosum cylindrum cavum, sed solidum, haud ita reticulatum quam in Cereis. Bacca e viridi lutea, semipellucida.

729. **Eulychnia castanea** Ph. Eu. ramis dependentibus, novemangularibus; areolis cinereo-tomentosis; spinis

*) Vide de genere Florulam atacamensem.

circa 8 brevibus inaequalibus, centralique tripollicari armatis; *calyce dense spinoso*; spinis ejus tenuibus, 6 lin. longis, ad basin pulvillo densissimo pilorum brevium fuscorum cinctis; petalis exquisite mucronatis.

Prope Los Molles in prov. Aconcagua e rupibus litoralibus veluti serpentes magni dependit. Truncus ramos paucos elongatos, eosque e basi emittit, quorum diameter secundum segmentum transverse sectum, siccum $2^1/_2$ poll. Aculei majores fasciculi 11 lin. longi; spina centralis basi paullo complanata, caeterum teres. Pili ad basin eorum proprie flavescentes et modo apice cinerei. Calyx cum spinis 14 lin. longus, flos totus 18 lin. longus; petala alba. Calyx cum spinis castaneae involucro suo inclusae similis. Fructus ut Cereorum aliorum „Guillave“ vocatur et satis insipidus est.

730. **Echinocactus? intertextus** Ph. E.? columnaris, laete viridis; costis c. 10, e tuberculis conicis, valde approximatis, confluentibus formatis, vertice albo-lanuginoso; aculeis primum purpureis, deinde albidis, intertextis, circa 10 majoribus, 10 lin. longis, subaequalibus, et circa quatuor inferioribus minoribus $2^1/_2$ — $3^1/_2$ lin. longis; fructus subglobosi seminibus nigris, diam. 2 lin.

E planitie patagonica ad radicem Andium valdivianarum attulit orn. G. Cox. Specimen (absque spinis) $2^1/_2$ poll. altum, diam. 16 lin.; elevatio tuberculorum fere 4 lin., numerus eorum in quavis costa 10 — 12. Diameter areolarum superiorum 2 lin. Fructus pollicaris.

731. **Echinocactus supertextus** Pfr.? Frequentem in rupibus oppido S. Felipe oppositis Septembri jam florentem inveni. Diameter plantae 3-pollicaris, systematis lignosi pollicaris. Costae 18, 4 lin. prominentes. Spinae 16 — 20, omnes tennes, cinereae, centrales 4 — 5, majores, 16 lin.

longae, laterales divaricatae, parum curvae, 10 lin. longae; areae tomento brevi, cinereo tectae. Flores numerosi 6—8, pulchre purpurei, tubuloso-infundibuliformes, 28 lin. longi; squamae calycinales apice modo liberae, margine lanato-villosae, setas 2—3 atras, apice fuscas, 5 lin. longas fovent. Petala interiora longiora. Ovarium in sectione longitudinali 4 lin. longum. Stamina 3 lin. supra ovarium incipiunt, majora 13 lin. longa, ita ut antherae eo loco sint, ubi color pulchre ruber corollae incipit, numerosa, flava. Stylus stamina longiora aequans, omnino flavus, stigmata 8—12 erecta, fere 3 lin. longa gerit.

732. **Opuntia patagonica** Ph. O. articulis subclavatis, lacte viridibus; areolis tomento brevi albo tectis; aculeis albidis, unico compressiusculo, 13 lin. longo, duobusque minimis, $^2/_3$ lin. longis; foliis $1\,^1/_2$ lin. longis.

Pariter in Patagonia habitat. Articuli, quos oru. Cox attulit, 11 lin. longi, medio fere 5 lin. crassi; diam. areolarum $1\,^1/_3$ lin. — *O. longispina* Haw. spinis pluribus, purpurascentibus, majore trinnciali; *O. glomerata* Haw. spinis centralibus longissimis; *O. Poeppigii* aculeis minoribus, 2—4 lin., majore 8—10 lin. longis; *O. Maihuen* Gay III. p. 29 aculeis tribus, medio longiore (dimensiones eheu! omissae) ideoque ut videtur minus inaequales.

733. **Opuntia monticola** Ph. O. prostrata, caespitosa; articulis cucumeriformibus; areolis per series 6 — 8 longitudinales dispositis, albo-tomentosis; spinis circa 8, inaequalibus; vel quatuor centralibus majoribus, griseis vel fuscis, apice albis, cylindricis; floribus 18—20 lin. longis, incluso ovario 11 lin. longo; setis albis e squamis ovarii enatis, versus petala longioribus.

In Andibus prov. Santiago prope argentifodinam las Arañas Nov. 1861 inveni. — Articuli 4 poll. longi, medio

pollicem crassi, utrinque attenuati; areolae valde distantes circa 6 in quavis serie longitudinali, diam. $1^1/_2$ — $1^2/_3$ lin. Spinae inferiorum minutae, unica major et vix 5-linearis; in areolis superioribus vero spinae minores jam 5 lin. longae, majores 11 lin. Squamae ovarii per sex series transversas dispositae, in axilla pulvisculum albo-lanatum et setas seu aculeos albos circiter 6 gerentes, supremorum areolarum majores 4 lin. longae. Flores lutei, extus si bene memini, fulvi. — Ab *O. andicola* hort. Angl. Gay III. 30. aculeis basi haud complanatis, magis numerosis satis differre videtur.

734. Opuntia bicolor Ph., O. caespitosa, humilis; articulis ovatis, parvis; areolis per sex series longitudinales dispositis, circa 4 in quavis serie, subglabris; aculeis inaequalibus, cylindricis, supremo uno vel duobus majoribus, reliquis minutis, albis; ovario spinis setiformibus 3 lin. longis armato; corolla lutea, extus purpurea.

Cum priore inveni. — Articuli pollicem longi, 7 lin. crassi. Diam. areolarum vix ultra 1 lin., aculei inferiores circa 9, albi, setacei; superiores 8 — 9 lin. longi, albi aut purpurei, apice albi. Ovarium 9 lin. longum, squamarum series sex transversas ostendit, quae omnes, etiam infimae, in axilla pulvisculum albo-tomentosum et spinas setiformes circa 7, 3 lin. longas gerunt. Corolla 7 lin. longa.

735. Ribes Ovallei Ph. R. inerme, glabrinsculum; foliis ambitu orbicularibus, subcordatis, trilobis, lobis obtusis, inciso-bidentatis; petiolis lamina brevioribus, glandulosis, haud ciliatis; racemis folium aequantibus, imo superantibus; floribus minutis, longe pedicellatis; laciniis calycinis acutis.

Rami 1 lin. crassi. Folia 23 lin. lata, $15^1/_2$ lin. longa, petiolo 12 lin. longo insidentia; nervi subtus puberuli. Racemi 25 — 29 lin. longi; bracteae lineares, $2^1/_2$ lin. longae;

pedicelli $1\,^3/_4$ — 2 lin.; bracteolae setaceae, minimae, caducae. Diam. floris, ut videtur, lutei 2 lin.; tubus brevis, satis apertus. Glandulae luteae praesertim in basi petiolorum et calyce conspicuae. — Folia fere ut in *R. magellanico* Poir. sed majores, flores vero minores, longius pedicellati, et rami graciles; floribus minutis accedit ad *R. parviflorum* mihi Cent. no. 89, a quo glabritie, foliorum lobis rotundatis, petiolis brevioribus, haud ciliatis etc. abunde differt.

736. **Ribes parvifolium** Ph. R. inerme, pubescens, glanduliferum; foliis parvis, breviter petiolatis, cordatis, subtrilobis, inciso-dentatis; racemis suberectis, folia demum bis aequantibus; bracteis ovatis; pedicellis inferioribus bracteam subaequantibus, superioribus abbreviatis, bracteolis nullis; floribus flavis; calycis late campanulati laciniis reflexis, obtusis.

In prov. Santiago ad radicem Andium l. d. Cajon del Arrayan inveni, Octobri jam maxima ex parte defloruerat. — Frutex fere orgyalis. Petioli 4 lin. longi, basi haud ciliati; lamina foliorum ad summum 8 lin. lata, $5\,^1/_2$ lin. longa, supra glabra, subtus in venis dense puberula, et, sicut petioli, pedunculi et calyces, glandulis luteis obsita; margo tenuissime serrato ciliatus, dentes acuti? Pedunculi, quibus modo supremi flores insidebant, 15—20-flori, circa 18 lin. longi; bracteae modo $1\,^1/_4$ lin.; pedicelli $^3/_4$ lin. longi; diameter floris $1\,^3/_4$ — 2 lin. Bracteolae nullae an caducissimae? — Proximum *R. polyanthi*, sed petiolis, pedunculis, calycibusque pubescentibus, calyce flavo nec roseo, bracteolis nullis facile distinguendum.

737. **Ribes Gayanum** Spach? — R. inerme, totum villosum, foliis profunde cordatis, orbiculatis, obscure trilobis, dentatis; petiolo $^2/_3$ laminae aequante, basi haud ciliato;

racemis folium superantibus, 8—15-floris; floribus sessilibus, late campanulatis; laciniis calycinis late-ovatis, albidis? petalis minimis, oblongo-linearibus truncatis.

In Andibus prov. Colchagnae et in elevatione 5—7000 ped. s. m. invenit orn. Landbeck. — Tota planta pilis patentibus villosa est. Petioli 10 lin. longi; lamina 18 lin. longa, 22 lin. lata. Racemi 28 lin. longi saepe basi vel medio folium parvum gerunt. Bracteae late ovatae lin. longae; bracteolae lineares, obtusae. Diameter floris 2 lin. — Duae species hirsutae in opere Gayi indicantur: *R. Gayanum* Spach, cui „folia quandoque ovata, basi truncata" et (in descriptione hispanica) „racemi folio breviores" adscribuntur et *R. villosum*, cui „folia ovata, breviter petiolata" et „flores perparvi" esse dicuntur. Differentia inter ambas species non indicatur, neque ex descriptione ullam eruere mihi contigit. Dimensiones sedulo omissae.

738. **Escallonia angustifolia** Ph. E. glaberrima; foliis confertissimis, fasciculatis, lineari-spathulatis s. obverse lanceolatis, *acutis*, obsolete serrulatis; floribus ad apices ramulorum in paniculas breves circa 7-floras dispositis; pedicellis circa 1 lin. longis, bibracteatis; segmentis calycinis late triangularibus; petalis albis, suborbicularibus, brevissime unguiculatis; stylo staminibusque brevibus.

In Andibus de Linares dictis legit orn. Germain. Folia 9—10 lin. longa, 2—3 lin. lata, uninervia; panicula foliata 8 lin. longa; calyx cum ovario 2 lin.; diam. petali $1^1/_2$—2 lin. — Obs. *Stereoxylon virgatum* R. et P. in opere cl. Gay omissum est, sed eadem ut *E. stricta* ejus. Ab hac specie nostra fere unice foliis duplo majoribus acutis differt? forte nihil nisi varietas. *St. virgatum* prope Nacimiento lectum fuit; in icone denticuli foliorum longe magis producti quam in speciminibus a me visis, et styli longiores, quod

errorem pictoris credo. Variat floribus solitariis et floribus in paniculam parvam pauciflοram aggregatis.

739. **Escallonia dumetorum** Ph. E. ramulis novellis pubescentibus; foliis plerumque obovatis, vel oblongo-ovatis, simpliciter serratis, magnis, glabris, in venis modo utrinque pubescentibus, subtus interdum resinoso-punctatis; floribus rubris, terminalibus, in paniculam brevem 10 — 15-floram dispositis; calyce pubescente, eglanduloso; petalis longe unguiculatis, stylum 3 lineas longum vix superantibus.

In dumetis prov. Valdiviae inter praedium meum S. Juan et oppidum la Union inveni. Frutex orgyalis. Folia jam 21 lin. longa, 19 lin. lata, obtusa, rotundata, jam 19 lin. longa, modo 8 lin. lata, subtus resinoso-punctata vel punctis resinosis destituta, idque in eadem planta; dentes marginis minuti, arguti, apice subglandulosi. Pedicelli 4 lin. longi. Flores roseo-punicei, 3 lin. longi; dentes calycini breviusculi. — Ab *E. rubra* foliis latioribus, floribus brevioribus (qui in illa $4\frac{1}{4}$ lin. longi), calyce eglanduloso, brevioribus dentibus terminato; ab *E. macrantha*, quacum foliis latis convenit, floribus duplo minoribus, calyce pubescente, eglanduloso; ab *E. molli* mihi foliis majoribus, dentibus calycinis brevibus etc. differt.

740. **E. concinna** Ph. An. Univ. Chil. 1861. 1. p. 61. E. ramulis novellis pubescentibus; foliis oblongis, utrinque attenuatis, duplicato-serratis, subtus resinoso-punctatis, glabris, supra nervo mediano puberulo; floribus racemoso-paniculatis, roseis; paniculis terminalibus, 12 — 20-floris; pedicellis brevibus, dense pubescentibus; calycis turbinati puberuli resinoso-punctati dentibus late triangularibus, apice elongato-mucronatis; corollae 4 lin. longae petalis longe unguiculatis, reflexis.

Ad flumen Coihuin prope Puerto Montt legit orn. Dr. Fr. Foneck. — Folia majora 20 lin. longa, 8 lin. lata, basi simpliciter serrata, a medio inde dentibus circa 7 bi- vel tridentatis utrinque munita. Paniculae bipollicares, jam foliis parvis, lanceolatis, subintegerrimis mixtae, jam aphyllae in eodem ramo; pedicelli 2 lin. longi, nudi, vel bracteolis minimis onusti. Limbus liber calycis patens, ovarium aequans; stylus, stamina et pars erecta petalorum aequalia. — Differt ab *E. rubra* pedicellis brevibus, dentibus calycinis brevibus etc., ab *E. rosea* foliis duplicato-serratis, pedicellis dense pubescentibus, calycibus resinoso-punctatis vel potius glandulosis; ab *E. dumetorum* pedicellis brevibus, dentibus calycinis brevioribus, latioribus, calyce resinoso-glanduloso; ab *E. littorali* foliis duplicato-serratis, floribus minoribus etc.

741, **Escallonia glabrata** Ph. E. glaberrima; foliis obovato-oblongis, acutis, appresse serratis, subtus vix pallidioribus, absque punctis resinosis; floribus axillaribus terminalibusque, secundis? rubris; pedicellis calycem eglandulosum superantibus, bibracteatis; petalis, staminibus, styloque valde elongatis. An. Univ. Chil. 1862. 2. p. 445.

Unicum specimen in declivi boreali vulcani de Chillan dicti ab orn. Volckmann lectum vidi. — Folia fere omnino *E. rubrae* seu potius *Poeppigianae*, majora 15 lin. longa, 7 lin. lata, in petiolum brevem attenuata, acuta; sed dentes aequales, simplices, appressi et puncta resinosa in pagina inferiore nulla. Flores racemum simplicem constituunt, inferius foliatum. Flores nutantes; pedunculi omnes simplices, $2^1/_2$ — 3 lin. longi, medio bracteolas oppositas, lineari-subulatas, margine glanduloso-ciliatas gerunt. Calyx minor quam in *E. rubra*, vix cum denticulis subulatis 3 lin. longus. Stylus, stamina et pars erecta petalorum 6 lin. longa. — Species

glabritie perfecta, inflorescentia et longitudine corollae ab affinibus facile diustinguenda.

742. Escallonia montana Ph. E. frutex orgyalis; ramulis novellis glabris; foliis obovato-oblongis, vel lanceolatis, minutim sed argute serratis; floribus terminalibus, albis, c. 12 in racemum densum, foliatum dispositis; pedicellis calyceque glabris; dentibus subulatis tubum aequantibus; petalis longe unguiculatis, 5 lin. longis.

In montibus circa originem fluminis Futa in prov. Valdivia, loco dicto Huallihuapi inveni. — Folia 8—9 lin. longa, $2^1/_2$—3 lin. lata. Differt ab *E. leucantha* Remy caule humili, foliis angustioribus, inflorescentia abbreviata, pauciflora, floribus saltem duplo majoribus; a *chonotica* mihi Centur. nr. 179, cui proxima, dentibus calycinis elongatis, racemis densis, minus foliatis etc.

743. Hydrocotyle valdiviana Ph. H. caulibus prostratis, radicantibus; petiolis longe pilosis, folium circa bis aequantibus; foliis orbicularibus, profunde cordatis, septemnerviis, brevissime lobatis et crenatis, glabrinsculis; pedunculis hirsutis, brevibus, saepe umbellam modo aequantibus; umbella 12—15-flora; floribus subsessilibus.

Circa Corral detexit orn. Krausse. — Petioli internodiis paullo longiores, variae longitudinis, plerumque 1—2-pollicares. Foliorum diameter 12—15 lin., sinus angustus usque ad centrum penetrat. Stipulae latae, rotundae. Pedunculi modo $1^1/_2$—3 lin. longi, fructiferi vero 4—$4^1/_2$ lin.; diameter capitulorum florum $1^1/_2$—2 lin.; fructus virides, compressi, diametri $^2/_3$ lin.; mericarpia tricostata. — Ab *H. Bonplandi* foliis glabrinsculis, brevissime lobatis, et brevitate pedunculorum satis differre videtur.

744. Hydrocotyle Volckmanni Ph. H. glaberrima; caule repente; foliis longe petiolatis, orbicularibus, peltatis,

8—10-nerviis, margine vix lobato-incisis, caeterum integerrimis; pedunculis dimidium petiolum aequantibus, flores verticillato-glomeratos gerentibus, interdum furcatis.

Prope Vallenar invenit ornat. Volckmann. — Caulis vix mediam lineam crassus, e quovis nodo folium et pedunculum emittit. Petiolus $3\frac{1}{2}$ poll. longus, crassitie caulis; folium ipsum exacte orbiculare, diametri 10—11-linearum. Pedunculi usque ad primum florum verticillum $1\frac{1}{3}$—$1\frac{1}{2}$ poll. longi, crassitie caulis s. petioli. Pars florigera fere 6 lin. longa. Glomeruli terni; flores minuti, sessiles, squamis brevissimis ovatis, fuscis, scariosis loco involucri fulti. Calyx nullus; petala ovata, acuta, integra, expansa. Fructus orbicularis, paullo latior quam longus, valde compressus, fere anceps, diametri 1 lin. Pedunculus unus furcatus, in bifurcatione glomerulum ferens, ramus uterque glomerulos duos fert. — Vix specimen depauperatum *H. bonariensis*.

745. **Apleura** Ph.*) novum genus *Umbelliferarum*.

Umbella uniflora, flos sessilis. Calycis limbus in fructu distinctus, sed dentibus destitutus. Petala .... Stamina .... *Styli* in fructu nulli; stylopodia parva. Fructus ovatus, a latere inspectus fere oblongo-linearis, sectione subquadratus, sulcis quatuor superficialibus, commissuris nempe et sulcis dorsalibus, exaratus, evittatus, jugis destitutus, *drupaceus*. Sub epidermide enim post macerationem facile secedente caro et intus endocarpium osseum. Commissura totam latitudinem mericarpiorum complectitur, quae in commissura subtricostata sunt. Semina latere dorsali plana, latere commissurae medio subcostata. — Genus igitur valde singulare, habitus *Llaretiae* vel *Azorellae* ejusdem.

---

*) α privativum, πλευρά, costa.

Planta glaberrima enim caespites densos, humiles format. Folia confertissima, imbricata, linearia, mucronata, integerrima, patentia, coriacea, persistentia, basi fusca vaginantia, limbo 4 lin. longo, 1 lin. lato; vaginae pilis mollibus, albis ciliatae. Flos terminalis, sessilis, corona pilorum alborum cinctus. Fructus fere 4 lin. longus, $2^1/_4$ lin. crassus, glaberrimus, laevissimus, olivaceus. Unica species vocabitur:

Apleura nucamentacea Ph.

E planitie patagonica ad radicem Andium valdivianarum sita attulit orn. Cox.

746. Mulinum laxum Ph. M. caule flexuoso, laxe ramoso; foliis omnibus tripartitis, laciniis linearibus, subaequalibus; ore vaginarum parum piloso; pedunculis elongatis, sub-15-floris; pedicellis fructum *ovatum* quater aequantibus; involucro polyphyllo.

In Andibus prope Antuco Januario 1839 legit cl. Gay Herb. Chil. no. 1513. — Folia 30 lin. longa, laciniae 14 lin. longae; pedunculus tripollicaris; pedicelli 7 lin., fructus vix 2 longi. — A *M. spinoso* praeter habitum laxum, folia distantia, omnia tripartita, nullo 5-partito, fructu ovato neque orbiculari cordato satis differre videtur.

747. Asteriscium ramosissimum Ph. — P. radice simplici, annua; caule humili, decumbente, dichotome ramoso; foliis minutis, longissime petiolatis, orbicularibus, dentatis; umbellis subquinquefloris, pedunculo semipollicari insidentibus; fructibus quadrialatis, exquisite transverse rugosis; involucro polyphyllo; pedicellos bis aequante.

In Andibus prov. Santiago Januario 1861 detexit orn. Landbeck. — Radix tripollicaris, albida, simplicissima; caulis e basi ramosus, modo $1^1/_2$ — $2^1/_2$-pollicaris, crassiusculus, vix striatus; folia petiolo 6 — 9 lin. longo fulta,

diametri 4 lin., dentibus circa 10, latis, acuminatis, fere mucronatis munita, purpureo-marginata; suprema minora, ovata, cuneata, subtridentata. Pedunculi crassiusculi, oppositifolii, 6 — 8 lin. longi; involucrum 5 — 10-phyllum; foliola late lanceolata, nervis 2 — 3 purpureis ornata; pedicelli vix $1^1/_2$ lin.; fructus $2^1/_4$ lin. longus, diam. 1 lin., dentes calycinos et petala persistentia purpurea ostendit, et praeter rugas transversas et alas magis prominentes fere exacte ut in *P. coriacea* est. Tota planta glauca, glaberrima. — *A. aemocarpum* Clos (male pro *haematocarpum*) fructibus coccineis muriculato-punctatis neque viridibus tetrapteris differt.

748. **Gymnophytum spinescens** Ph. G. fruticosum, caulibus ramosissimis, crassis, vix striatis, flexuosis, ramulis lateralibus brevissimis, demum spinescentibus; floribus in apice eorum brevissime pedicellatis; fructibus ....

Unicum specimen a cl. Gay prope Guamalata in prov. Coquimbo lectum suppetit. Crassitie ramorum nuice cum *G. robusto* convenit, sed rami vix striati (recentes ut videtur perfecte teretes), ramuli laterales breves, vix 5 lin. longi, sensim attenuati, spinescentes. Etiam apex ramorum majorum spinescit unde habitus valde alienus. Fructus non adsunt. Cum *G. spinosissimo* Ph. propter ramos crassos, haud divaricatos etc. confundi non potest.

749. **Apium flexuosum** Ph. A. caule ramoso, flexuoso, sulcato-striato, folioso; foliis subtripinnatis, pinnis petiolatis, divaricatis, subquadrijugis, pinnulis tripartitis, lobis trifidis, laciniis integerrimis, linearibus, mucronatis; umbellis plerisque oppositifoliis, breviter pedunculatis aut subsessilibus, 6 — 12-radiatis; floribus magnis albis, fructibus magnis.

In maritimis prov. Colchaguae legit orn. Volckmann. — Rami qui suppetunt pedales, flexuosi, dichotomi; ut videtur

decumbentes; valde striati; internodia plerumque 4-pollicaria. Folia radicalia ....., caulina inferiora quae adsunt jam subsessilia, ambitu ovata, 32 lin. longa, 24 lin. lata; pinnae pedicello trilineari insidentes iterum ovatae. Umbellarum pedunculus ad summum 9-linearis, saepe subnullus; radii inaequales, majores 7 lin. longi; pedicelli modo 1—2 lin. longi. Involucrum involucellumque nullum. Petala suborbicularia, lactea, fere $^3/_4$ lin. longa. Fructus immaturus jam 1 lin. latus, suborbicularis, compressus, apice et basi emarginatus; juga quinque *rotundata*, lateralia marginantia tenuiora, valleculae angustissimae. — Caule ramoso, pinnulis divaricatis, laciniis longe angustioribus, corollis duplo majoribus summopere ab *A. chilensi* differt.

Obs. Cl. Clos apud Gay III. p. 119 juga *acuta*, imo in texto hispanico *alata* genus *Apio* tribuit, cl. Gussone vero in flora sicula I. p. 343 fructum *obtuse* costatum vocat!

750. **Wydleria? humilis** Ph. W.? glaberrima, radice crassa, multicipite; caulibus decumbentibus, brevibus; foliis pinnatis, subtrijugis; pinnis ovato-orbicularibus, inciso-dentatis, superioribus quinque- vel tripartitis; umbellis demum lateralibus, 3—4-radiatis; involucris involucellisque nullis.

In Andibus prov. Santiago detexit orn. Landbeck. — Radix nigricans, 3 lin. crassa, simpliciuscula; caules 3-pollicares, sed forte demum longiores, internodiis tribus (deinde pluribus?) formati, jam e prima axilla umbellam emittunt. Folia radicalia petiolo 16 lin. longo, usque ad medium nudo, basi vaginante foliola 7 gerunt, orbicularia, profunde incisa, 5—7-loba, terminale majus, trilobum, lobis incisis; sequentia sensim minus composita, brevius petiolata, limbo lato albo in petiolo. Pedunculus communis umbellae primae 9-linearis, $^2/_3$ folii sui aequat; radii inaequales, 2—6 lin. longi; umbellae partiales sub-12-florae; pedicelli $1^1/_3$—$1^2/_3$ lin. longi.

Petala alba, minuta, integra, acumine incurvo, ita ut obcordata appareant. Fructus immaturi vix 1 lin. longi, totidem lati, late ovati, basi cordati, stylopodio stylisque tenuibus flexuosis terminati; mericarpia cylindrica, commissura tenui juncta, costis quinque valde prominentibus ornata; valleculae latae; vittae ....

751. **Huanaca andina** Ph. *Trisciadium andinum* Ph. An. Univ. Chil. 1862. 2. p. 61. — H. foliorum lamina orbiculari, cordata, tripartita, lobis lateralibus, quadrifidis, intermedio trifido, omnibus latis, marginatis; laciniis ovatis, obtusiusculis integerrimis; foliolis duobus floralibus trifidis; involucrum foliolis latis obtusis; umbellis lateralibus aeque fertilibus.

In Andibus prope balnea de Chillan dicta detexit orn. R. Pearce, postea ipse inveni. — Planta glaberrima, subacaulis. Caulis vix 1—2 poll. longus, basi semel bisve ramosus, pedunculis geminis terminatus. Folia coriacea, subradicalia, conferta, opposita, longe petiolata; petiolis fere 3 poll. longis, basi in vaginam brevem utrinque in dentem reflexum terminatam dilatatis; lamina orbicularis, diam. 8 lin. Umbellae tres, intermedia subsessilis, laterales pedunculatae. Ad basin ramificationis folia duo opposita, praeter partem dilatatam utrinque uncinato-dentatam sessilia, trifida. Praeterea umbella centralis involucrum suum habet pentaphyllum, foliolis e basi dilatata, utrinque dentata, laminaque obovato-oblonga formatis; radii circa 10, 4 lin. longi, et involucrum et folia bina floralia aequantes. Umbellae laterales pedunculis circa 8—10 lin. longis insidentes; basi foliis duobus simplicibus, obtusis, lineari-cuneatis, et praeterea involucro subpentaphyllo e foliolis minoribus angustioribus acutis formato cinctae, radiis 8—12 compositae. Flores albi; fructus 2 lin. longi. — Primum pro alio genere propter umbellas laterales aeque her-

maphroditas nec masculas habui. Folia bina sub umbellis umbellam non esse triradiatam, sed umbellas tres distinctas adesse docent. *Huanacam acaulem* Cav. olim pro genere novo *Lechleria* Centur. no. 99 mihi habui, sed cum mihi Icones Cavanillesii inspiciendi copia facta esset, errorem cognovi. Species in opera Gayi omissa est.

752. Ligusticum nemorosum Ph. L. glabrum; caule erecto, robusto, angulato, striato; foliis caulinis bipinnatifidis; pinnis trijugis, ambitu ovatis, trifidis, lobis pinnatifidis; laciniis linearibus, vix recurvis, mucronatis; umbellis deinde lateralibus, longe pedunculatis, radiis circa 15 erectis; involucro involucellisque nullis; fructu glaberrimo.

In prov. Valdiviae nemoribus praesertim ad rivulos frequens. — Caulis interdum tripedalis. Folia radicalia pedalia, longe petiolata, petiolo nsque ad medium nudo, pinnis 3—4-jugis, longe petiolatis, fere bipinnatifidis. Pedunculi $2\frac{1}{2}$—$3\frac{1}{2}$-pollicares, radii umbellae breves, modo 8 lin. longi. — Differt a *L. peucedanoide* umbellis longepedunculatis nec sessilibus, a *L. Panul* umbellae radiis brevioribus, pluribus, crassioribus, caule anguloso, a *L. divaricatilobo* radiis umbellae duplo pauciоribus, fructibus glabris, nec puberulis etc.

753. Ligusticum? pimpinellifolium Ph. L. glaberrimum; caule erecto, simplici, internodiis tribus formato; foliis radicalibus pinnatis, petiolo ultra medium nudo, foliolis 2—4-jugis, suborbicularibus, inciso-dentatis; dentibus rotundatis, mucronatis; cauliniis supremis oppositis; pedunculo lato, albo-marginato, brevissimo, et lamina tripartita formatis, lobis trifidis intermedio petiolato; umbella terminali, decemradiata; umbellulis multiradiatis; involucro involucellisque nullis; fructibus ....

In monte altissimo Tinguiririca invenit orn. W. Diaz. —

Radix crassa, nigricans. Caulis 16 poll. altus, basi fere 2 lin. crassus; primum internodium 5-pollicare. Folia radicalia 4-pollicaria; foliola 6 lin. longa, 5 lin. lata, dentibus circa 8. Unica umbella terminalis explicata est; umbellae laterales e folii secundi axilla et e pari ultimo foliorum oriundae vix alabastra ostendunt, pedunculo bifolio sustentantur. Folia horum pedunculorum lateralium alterna. Pedunculus communis umbellae terminalis 18 lin. longus; radii inaequales, centri minores modo 4 lin., peripheriae 11-lineares; pedicelli $1\,^1/_3$ lin., diam. florum vix 1 lin. Petala alba, ovato-lanceolata, unguiculata, integra, apice inflexo. Fructus ....

754. **Ligusticum Landbeckii** Ph. L. glaberrimum; caule erecto bipedali, simpiciusculo, striato; foliis radicalibus tripinnatifidis, laciniis linearibus angustis, supremis oppositis; umbellis omnibus pedunculatis suboctoradiatis; pedicellis gracilibus elongatis; involucro involucellisque nullis.

In prov. Colchagua legit orn. Landbeck. Folia radicalia 9 poll. longa, $2\,^1/_3$ poll. lata, petiolus fere usque ad medium nudus; pinnae quinquejugae, petiolatae; laciniae omnes lineares, variae longitudinis, sed vix $^2/_3$ lin. latae, duplo angustiores et triplo longiores quam in *L. Panul.* Folia suprema opposita ut in *L. Panul*, *pimpinellifolio* etc.

755. **Ligusticum? angustilobum** Ph. glaberrimum, caule erecto, simplici, striato; foliis radicalibus tripinnatifidis, laciniis angustis, linearibus; *supremis alternis;* umbellis omnibus pedunculatis 5—12-radiatis; pedicellis *brevissimis;* involucro involucelloque nullis; fructu late ovato, compresso.

Prope Molhue in prov. Valdivia inveni. — Caulis $1\,^1/_2$-pedalis, internodiis 3—4 formatus, apice tantum ramosus, i. e. umbellas tres gerens, sed cum *omnia folia* alterna sint, minime trifurcatus. Folia fere exacte ut in antecedente; radi-

calia 6 poll. longa, petiolo ultra medium nudo; pinnae quadrijugae longe petiolatae, pinnulae sessiles pinnatifido-incisae, rhachi laciniisque aeque angustis; suprema simpliciter pinnatifida; laciniis 5, imo 3 anguste linearibus, acutis. Pedunculus terminalis 1 — 1 1/2 poll. longus; pedicelli vix ultra lineam longi, plerique fructum aequantes. Fructus crassior est, sed nimis in desiccatione compressus.

756. Ligusticum dumetorum Ph. L. glaberrimum, caule erecto, striato, simplici; foliis bipinnatifidis, ambitu oblongis 4 — 5-jugis, pinnulis subtrijugis, lobulis petiolatis, ovatis, cuneatis, bifidis trifidisve, laciniis linearibus, mucronatis; umbellis axillaribus aut oppositifoliis terminalibusque, subquinqueradiatis; involucris involucellisque nullis; loco involucri interdum folium.

In dumetis prope Vichuquen in parte litorali prov. Aconcagua invenit oru. Landbeck. — Radix fusca, 2 — 3 lin. crassa, carnosula; interdum multiceps. Caulis 1 — 2-pedalis, basi 1 1/2 lin. crassus, saepe rubens, sexnodis. Folia radicalia in planta florente emarcida, caulina erecta, inferiora saepe petiolo 4-pollicari insidentia, 2 1/2 poll. longa; pinnulae vix 8 lin. longae, fere totidem latae; laciniae foliorum supremorum incisae, bifidae, vix 2 lin. longae. Vagina brevissima, parum conspicua, in foliis superioribus breve petiolatis usque ad foliola extensa, 4 lin. longa. Pedunculus umbellularum oppositifoliarum 6 — 8 lin. longus; radii umbellae aequales, 7 lin. longae; pedicelli 1 1/2 lin. Flores in quavis umbellula c. 12, albi, vix diametri 1 lin. Fructus immaturi ovati, stylopodiis stylisque satis longis coronati, 1 lin. longi. — A *L. angustilobo* mihi laciniis foliorum praesertim supremorum multo brevioribus primo adspectu differt; propius ad *L. Landbecki* mihi accedit, a quo tamen caule valde striato

laciniis foliorum multo brevioribus, pedunculis radiisque umbellarum brevioribus, crassioribus discrepat.

757. Elsneria crataegifolia Meyen Nov. Act. Nat. Cur. XIX. p. 346 ex mea sententia cum *Bowlesia multiradiata* conjungenda est.

758. Cruikshanksia macrantha Ph. Cr. perennis, multicaulis; caulibus simplicissimis, apice foliosis; foliis spathulatis, incanis; floribus capitatis; laciniis calycinis aequalibus, ovatis, herbaceis; corolla longissima.

In prov. Coquimbo l. d. „Quebrada escondida“ invenit orn. Volckmann. — Radix lignosa, rufo-fusca, vix 1 lin. crassa, ramos 12 et plures ad summum quadripollicares emittit, qui basi filiformes et foliis rudimentariis valde distantibus muniti superius crassiores et dense foliosi fiunt. Folia majora 9 lin. longa, $2^1/_2$ lin. lata. Stipulae minutae, triangulares, lanceolatae, lacero-ciliatae. Flores subsessiles, laciniae calycinae fere $2^1/_2$ lin. longae; corolla extus puberula, tubo 12 lin. longo, laciniis $2^1/_2$ lin. longis constat. Species distinctissima.

759. Cruikshanksia glacialis Poepp. et Endl. Neque in descriptione P. et E., neque in opere Gayi indicatum vidèo, hanc speciem esse polygamam. Specimina enim alia filamenta elongata fere lacinias corollae aequantia et stylum vix dimidii tubi corollini longitudine habent, alia filamenta brevissima antherasque vix e tubo exsertas, sed stylum elongatum. Variat: 1) foliis magis elongatis, magis distantibus, v. gr. lamina $4^1/_2$ lin. longa, $1^1/_2$ — 2 lin. lata, petiolo 4 lin. longo insidente (Cordillera de Linares); 2) foliis magnis, distincte trinerviis, lamina nempe $7^1/_2$ lin. longa, $3^1/_2$ lin. lata, petiolo 7 lin. longo insidens, ita ut folia tubum corollae aequant, quae 9 ex foliis non eminent. Ex Andibus prov. Santiago talem varietatem possideo.

760. **Galium brevifolium** Ph. G. suffruticosum, multicaule, humile, glabrum; foliis quaternis, ovatis, uninerviis, margine spinulosis; pedunculis terminalibus axillaribusque plerumque bifloris, folia bis aequantibus; fructu hirsuto.

In Andibus prov. Santiago Januario 1861 invenit ornat. Landbeck. — Ramuli 4—6-pollicares, juniores tetragoni, angulis valde prominentibus fere alati; folia $2^2/_3$ lin. longa, $1^1/_2$ lin. lata; internodia dimidia vix aequantia, nervulo mediano subtus valde prominente laeviuscula, sed margine spinulis brevibus asperrima. Pedunculi folia bis vel ter aequant, erecti, plerumque biflori, ad originem floris secundi folio unico, reliquis conformi sed minore onusti; pedicellus oppositifolius folium florale aequat, terminalis eo triplo longior est. Flos (virescens?) diametri 1 lin. Fructus immaturus pilis densis, flavescentibus vestitus, qui diametrum fructus subaequant. — A G. *trichocarpo* inflorescentia dignoscitur.

761. **Galium andinum** Ph. G. suffruticosum, ramosissimum, humile, glabrum, scabrum vel pubescens; foliis quaternis, plerumque internodia subaequantibus, linearibus, margine revolutis, ciliato-scabris; pedunculis axillaribus, terminalibusque, tribracteatis, trifloris, interdum quinquefloris; pedicellis capillaribus (demum deflexis?); fructu glaberrimo, laevi.

In Andibus prov. Santiago, Colchagua etc. — Rami vix $^1/_2$ lin. crassi; internodia plerumque 3 lin. longa; folia 2—3 lin. longa. Pedunculi axillares, foliam plerumque bis aequantes, bracteas duas folio simillimas gerunt, e quibus pedicelli tres gracillimi nascuntur, laterales semper uniflori, intermedius interdum iterum triflorus. Flores parvi, extus virescentes. — A G. *suffruticoso* Hook. et Arn. facillime pedunculis bibracteatis nec quadribracteatis differt.

762. **Galium lasiocarpum** Ph. G. herbaceum, 1—2-pedale, ramosissimum; caule tetraquetro, aspero; foliis internodio multo brevioribus, quaternis, mucronatis, margine asperis, superioribus linearibus; floribus numerosissimis, axillaribus, paniculatis, dichotomis; pedicellis brevibus; fructibus pilosis, pilis fructum aequantibus.

Prope Vichuquen in parte litorali prov. Colchagua legit orn. Landbeck. — Internodia fere bipollicaria, folia vero modo 4 lin. longa, inferiora breviora, fere ovata, superiora linearia. Paniculae pollicares, ramis patentibus circa 4 lin. longis; bracteis foliiformibus 2—4 ad basin ramulorum; pedicelli fructum subaequant. — Caule herbaceo ramosissimo, internodiis elongatis, panicularum ramis divaricatis, fructus pilis brevibus, panciоribus, rigidioribus a *G. eriocarpo* et *trichocarpo* valde discrepat.

763. **Galium inconspicuum** Ph. G. suffruticosum, humile, glaberrimum, laevissimum, ramosissimum; foliis quaternis, internodia aequantibus, aut superantibus, linearibus, acutis, margine revolutis; pedunculis paucis, unifloris, folium subaequantibus; flore albo; fructu deflexo, glaberrimo, laevi. An. Univ. Chil. 1862. 2. p. 446.

In Andibus prov. Talca loco Meneses dicto in elevat. 2200 metr. s. m. invenit orn. Volckmann. — Planta ut videtur vix ultra $2^1/_2$ poll. alta; folia 2 lin. longa, vix $^1/_2$ lin. lata; nervus medianus valde prominens. Flos albus, diametri $1^1/_3$ lin., igitur pro Galio sat magnus; fructus diametri $1^1/_2$ lin. — A *G. leucocarpo* DC. internodiis brevibus etc., ab *antarctico* Hook. fil. foliis linearibus nec subcuneatis oblongo-lanceolatis, ab *hypnoide* Clos, Gay III. p. 183, foliis minime imbricatis etc. differt.

764. **Galium murale** L.

Ad radicem Andium prov. Santiago frequens est.

765. **Valeriana spathulata** Ph. V. suffruticosa, glaberrima; foliis fere omnibus radicalibus, confertis, spathulatis, integerrimis; caulinis quadriparibus multo minoribus obovatis, demum oblongis, ciliatis, caule folia ter vel quater aequante, apice flores paucos, subspicatos emittente; corollae tubo elongato; fructu lageniformi glabro. An. Univ. Chil. 1862. 2. p. 397.

In monte Nevado de Chillan legi, ubi rara videtur. — Caulis subterraneus circa 1 lin. crassus, vestigiis foliorum vetustorum asper, multiceps. Folia radicalia 20 lin. longa, 6 lin. lata; petiolus fere dimidium hujus longitudinis occupat. Caulis sexpollicaris; inflorescentia modo sextam ejus partem occupat. Folia caulina modo 4 lin. longa, 2 lin. lata. Bracteae oblongo-lineares, fructum aequantes. Corolla magna, 4 lin. longa, tubo elongato, roseo; stamina et stylus exserta. Fructus $2^1/_2$ lin. longus, $1^1/_2$ lin. latus. — Habitus *V. macrorrhizae* Poepp. sed radix non crassa, carnosa; folio petiolus distinctus, augustus; corollae duplo majori tubus elongatus.

766. **Valeriana phellocarpa** Ph. herbacea?, caulibus, qui suppetunt, teretibus, fistulosis, glaberrimis in paniculam amplam pyramidatam terminatis; foliis caulinis oppositis ternatisve; inferioribus bipinnatifidis, quadrijugis; pinnis obtusis, linearibus, bijugis, sub angulo recto fere divergentibus; corollis parvis; staminibus inclusis; stylis bifidis exsertis; fructu ex ovato lageniformi, glaberrimo, utrinque saccato; loculo medio fertili, compresso, margine prominente, sterilibus angustioribus, crassis, dorso rotundatis, intus suberosis, altero magis prominente, centro cavo.

In prov. Colchagua quondam legit orn. Dr. Simons. — Caules 9-pollicares. Folium maximum caulinum 3 poll. longum, $1^1/_2$ poll. latum; lobi laterales pinnularum breves, pa-

tentes. Diameter corollae vix 1 lin. Fructus absque calyce 2 lin. longus; calyx plumosus more solito.

767. Valeriana bracteosa Ph. V. herbacea, glaberrima; radice crassa, multicipite; caulibus vix pedalibus, teretibus, a primo internodio floriferis, valde foliatis; foliis carnosis, radicalibus simplicibus, longe petiolatis, cordato-oblongis, grosse inciso-crenatis; caulinis primis lyrato-pinnatifidis, reliquis oblongo-linearibus integerrimis; panicula elongata, subquadrijuga, ramis erectis, trichotomis; bracteis bracteolisque ramulos minores aequantibus; corollae viridi-luteae lobis lanceolatis, tubum aequantibus; staminibus exsertis; fructibus ovatis, compressis, puberulis.

In fissuris rupium montis Cuesta de Chacabuco pauca specimina Sept. 1861 inveni. — Radix 7 lin. crassa, extus nigra, superius squamis nigris vestita. Caulis pedalis. Folia radicalia majora praesertim plantarum sterilium 7 poll. longa, nempe lamina 4 poll. longa, 3 poll. lata, dentibus circiter 12 utrinque. Folia caulina prima bipollicaria, lobo maximo terminali, laciniato et utrinque lobo parvo basali formata, reliqua omnia simplicia, superiora sensim in bracteas abeunt. Inflorescentia jam a primo foliorum pare incipit. Diam. floris 2 lin.; longit. fructus immaturi $1\frac{1}{3}$ lin. — Panicula omnino foliata et bracteata hanc speciem facile distinguit.

768. Valeriana Pearcei Ph. V. herbacea, glaberrima; caule erecto, pedali, tereti, paucifolio; foliis radicalibus confertis, oblongis, sinuatis, in petiolam laminam subaequantem sensim attenuatis; caulinis mediis lyrato-pinnatifidis, lobo terminali magno; supremis pinnatifidis, laciniis linearibus integerrimis; panicula elongata, trijuga; ramis brevibus; floribus albis, fructu glaberrimo.

In umbrosis Andium de Ranco dictis in prov. Valdivia invenit orn. R. Pearce. — Unicum specimen vidi. Radix

nigra, $2^1/_2$ lin. crassa, superius squamata, caulem unicum emittit. Folia radicalia cum petiolo 4 lin. longa, 9 lin. lata, lobulis utrinque circiter 5; caulinorum tria paria inferiora approximata radicalibus similia, mediana lyrato-pinnatifida c. 16 lin. longa, superiora 9 lin. longa, bijuga s. trijuga; bracteae inferiores 5 lin. longae, lineares. Panicula (nondum omnino explicata etsi flores omnes aperti?) 3 poll. longa. Flores albi fere $1^1/_2$ lin. longi. Fructus immaturi $1^1/_2$ lin. longi, compressi; maturi non adsunt.

769. **Valeriana pulchella** Ph. V. herbacea, glaberrima; radice crassa; foliis carnosis, radicalibus confertis, pinnatis; petiolo fere usque ad medium nudo, pinnis subduodecimjugis, late ovatis, imbricatis, basi confluentibus, integerrimis, eveniis; caulibus scapiformibus folia bis aequantibus, bracteis s. foliis caulinis paucis, parvis, oblongo-spathulatis, integerrimis; panicula contracta, cymaeformi; corolla alba; staminibus inclusis; fructu oblongo, laevi, basi extus hispidulo.

In fissuris rupium humidis Andium de Ranco dictarum c. 5500 ped. s. m. R. Pearce. — Radix 3 lin. crassa, squamis nigris vestita. Folia 3 poll. 3 lin. longa, incluso petiolo fere $1^1/_2$-pollicari; pinnae 4 lin. longae, 3 lin. latae. Caules, ut videtur semper, duo, sexpollicares; folia caulina 3-paria, inferiora 4 lin. longa, 2 lin. lata; superiora sensim in bracteas abeunt. Diameter cymae pollicaris; flores albi $1^2/_3$ — $1^3/_4$ lin. longi, hermaphroditi. Fructus immaturus $1^1/_2$ lin. longus; maturus nondum adest. — Habitu, glabritie, foliis crassis fere coriaceis etc. cum *V. clarissaefolia* mihi convenit, sed facillime foliis radicalibus longe petiolatis usque ad rhachim sectis, caulinis vero indivisis distinguitur.

770. **Valeriana muriculata** Ph. V. herbacea, glaberrima; radice tenui, ramosa; caule crasso, teretі, striato, a primo

internodio in paniculam amplissimam diviso; foliis radicalibus crescenti-pinnatis, lobo ultimo suborbicalari; caulinis plerumque ternatis pinnatifidis, pinnis angustioribus fere pinnatifido-dentatis, demum linearibus, simplicissimis; floribus minutis, albis; fructibus in angulis dichotomiarum sessilibus, ovato-oblongis, muriculatis.

In valle subandina prov. Santiago, „Cajon del Arrayan“ dicta Octobri 1859 inveni. -- Radix caule tenuior, fusca; caulis bipedalis, basi 3 lin. crassus; primum internodium modo $3^1/_2$-pollicare. Folia radicalia 4-pollicaria; infima simplicia, orbicularia, incisa, longe petiolata plerumque mox marcescunt, reliqua subquinquejuga, lobulis distantibus, primis minutissimis, ultimo maximo inciso-crenato. Flores albidi, vix 1' lin. longi; genitalia inclusa; fructus nondum perfecte maturi $1^1/_2$ lin. longi. *V. vaga* Clos, cui pariter fructus submuricati, „pedicellis bis terve bifurcatis sine interposito flore“ primo adspectu distinguitur.

771. **Valeriana lyrata** Ph. V. glaberrima, suffruticosa? foliis carnosis, inferioribus lyratis seu ovatis, cordatis et basi utrinque unilobulatis, subintegerrimis, caulinis superioribus quinquefidis, trifidis aut simplicibus, oblongo-linearibus; panicula trijuga, apice dichotoma; ramis dichotomis; corollis magnis, genitalibus inclusis; fructibus in dichotomiae angulis positis abortientibus, reliquis magnis, compressis, glaberrimis, ovatis, ventre concavis, marginatis.

In prov. Colchagua quondam legit orn. Dr. Simons. — Rami qui suppetunt 1 — $1^1/_2$-pedales, fere omnino nudi. Foliorum inferiorum petiolus 14 lin. longus; lamina 20 lin. longa, 15 lin. lata, vix aliquantulum sinuata. Pedunculi usque ad dichotomiam 18 lin. longi; corolla 2 lin.; fructus fere 3 lin. longus. — A *V. Bridgesii* ramis paniculae dichotomis

nec trichotomis, a *pterocarpa* panicula laxa etc. discrepat. Fructus ut in sequente.

772. **Valeriana colchaguensis** Ph. V. fruticosa, inferius puberula, superius glabra; foliis inferioribus confertis, petiolatis, obovatis, integris vel plerumque lyratis, grosse crenatis; caulinis distantibus, lyrato-pinnatifidis, laciniis integerrimis; panicula tri-—quadrijuga, pauciflora; staminibus inclusis; fructibus magnis, ovato-lanceolatis, complanatis, marginatis, glaberrimis.

In prov. Colchagua invenit orn. Landbeck. — Pars inferior caulis $1^1/_2$ lin. crassa, lignosa, fusca; rami $1^1/_2$-pedales, basi cum foliis pubescentes, dein glabri, teretes, indivisi. Folia inferiora 15 lin. longa, obovato-spathulata, grosse-crenata, integra, vel frequentius basi lobulo uno altero-ve aucta; sequentes utrinque 2, 3, 4 lobulos gerunt, suprema pinnatifida fiunt. Internodia primum $2^1/_2$-, deinde 4-pollicaria. Rami paniculae vix 2-pollicares, semel dichotomi, deinde spicati, subdecemflori; bracteolae ultra lineam longae, herbaceae. Corolla $1^2/_3$ lin. longa, sicca lutescens. Fructus 3 lin. longus, ex basi lata, ovata sensim angustatus, valde compressus, marginatus, glaberrimus, altero latere concavus, lineisque tribus notatus; pappus 4 lin. longus. Loculi steriles marginem fructus efformare videntur. Pappus 4 lin. longus. Antecedenti proxima sed foliis et habitu satis distincta.

773. **Valeriana Rustillosi** Ph. V. suffruticosa, multicaulis, glabra; ramis quadrangularibus, 1—$1^1/_2$-pedalibus; foliis carnosis, inferioribus longe petiolatis, lyrato-pinnatifidis, lobis subintegerrimis, ultimo rotundato, majore; caulinis sessilibus, ambitu ovatis, profunde pinnatifidis, lobis utrinque 5—6, rhachique linearibus, obtusis; panicula quadrijuga, augusta, laxa; ramis bis vel ter dichotomis sine interposito flore, infimis axillaribus; fructu ovato, compresso, laevi.

In Andibus prov. Santiago legit orn. Landbeck. — Folia inferiora 20 lin. longa, incluso petiolo 17-lineari; lobi 4—5 a basi crescentes, ultimus diametri $3^1/_2$ lineae; folia caulina fere 13 lin. longa, fere totidem lata; latitudo laciniarum et rhachidis $1^1/_4$ lin. Rami inferiores paniculae ex axilla folii normales surgunt, erecti sunt, et folium bis aequant; omnes semel vel ter divisi sunt; bracteae lineares, inferiores fere 2 lin. longae. Flores vix $1^1/_2$ lin. longi; sicci lutescentes. Fructus maturus non adest, sed certo glaberrimus et laevissimus est; forma ejus ovato-oblonga, superius angustata, compressa.

774. Gamocarpha angustifolia Ph. G. suffruticosa; ramis foliatis; foliis ad basin confertis, *spathulato-linearibus*; caulinis superioribus paucis, linearibus, duplo angustioribus; tubo corollae crasso. An. Univ. Chil. 1862. 2. p. 379.

In monte Nevado de Chillan prope nivem perpetuam legi. — Caulis caespitosus, $1^1/_4$ lin. crassus. Folia 9 lin. longa, $1^1/_4$ lin. lata (in *G. Poeppigii* usque ad 20 lin. longa et 3 lin. lata); caulina superiora aeque longa sed vix $^1/_2$ lin. lata. Dentes calycini rufescentes, scariosi. Corollae viridis $2^2/_3$ lin. longae tubus perparum angustatus (in *G. Poeppigii* tubus *filiformis* est).

775. Boopis pusilla Ph. B. annua, pusilla, glaberrima; caule erecto dichotomo; foliis subspathulatis, dentato-serratis integerrimisve; capitulis alaribus, pedunculatis, fructiferis deflexis; involucro late campanulato, quinquefido; calyce membranoso, persistente.

Prope argentifodinam las Arañas in Andibus prov. Santiago inveni. — Radix bipollicaris, tenuis, albida, simplicissima. Caulis $1^1/_2$-pollicaris. Folia radicalia tempore florendi emarcida, caulina inferiora usque ad 10 lin. longa; $3—3^1/_2$

lin. lata, dentibus c. 3 utrinque munita. Pedunculi 4 lin. longi, crassi. Involucrum laete viride, turbinatum, dentibus late triangularibus. Flores modo 10—15, omnino liberi. Paleae setaceae, virides, perpaucae. Ovaria turbinata, quinquecostata; calyx membrana fere integerrima, continua; tubus corollae involucrum bis aequans, filiformis, sensim dilatatus, viridis, puberulus; limbus erectus, albus, glaber, dentibus quinque, linearibus. Antherae e tubo omnino exsertae, laciniis corollae paullo minores, conniventes, albae. Stigma capitatum album, vix ex antheris exsertum. Fructus (immaturus) turbinatus, quinquangularis, viridis, calyce viridi coronatus et supra conicus, basi corollae persistente apiculatus; anguli pericarpii neutiquam suberosi.

776. Boopis Diazi Ph. B. glaberrima; caulibus scapiformibus, saepe confluentibus; foliis spathulatis, pinnatifido-incisis, caules subaequantibus vel longioribus; corollis *inflatis*, cylindricis, enerviis; staminibus inclusis. An. Univ. Chil. 1862. 2. p. 396.

In latere Mendocino Andium in transitu Portillo de los Puiquenes invenit orn. W. Diaz. — Caules 2 poll. alti, sub capitulis usque ad 3 lin. crassi. Folia coriacea, 2 poll. longa; pars petiolaris $1^3/_4$ lin. lata; pars laminaris 9 lin. longa, 6 lin. lata, dentibus utrinque 3 — 5. Capitula diam. 7—11 lin. Squamae involucri brevissimae, circiter 13, late triangulares, vix ultra lin. longae. Paleae nullae. Flores cum ovario $1^1/_4$ lin. longo, 4-lineares. Dentes calycini in flore obsoleti. Corolla inflata, alba, apice contracta, virescens, omnino enervis. Antherae in faucibus sessiles; stylus elongatus, stigma exsertum. Fructus .... — Propter corollam ad sectionem *Ascanthus* mihi, propter paleārum deficientiam ad *Acarpham* Griseb. pertinet. Folia ab illis *B. scapigerae*

Remy (Gay III. p. 250) distingui nequeunt, flores autem longe diversi.

777. Boopis acaulis Ph. B. acaulis, dense caespitosa; foliis spathulatis, integerrimis, glabris, interioribus brevissimis, petiolo suo cum pedunculis in unam massam confluentibus; corollis parvis, brevibus, sensim dilatatis. (An. Univ. Chil. 1861. p. 49.)

Prope Huanta invenit orn. Volckmann. — Unicum specimen quod suppetit satis imperfectum, sed speciem esse peculiarem facile cognoscitur. Folia valde coriacea, uninervia, glaberrima; exteriora $3^1/_2$ lin. longa, $1^1/_2$ lin. lata; interiora uti in *B. compacta* mihi basi sua cum pedunculis connata, ita ut flores omnes sessiles fiant. Corolla modo 2 lin. longa. A specie laudata foliis integerrimis corollisque brevibus satis differt.

778. Mutisia spectabilis Ph. M. magis minusve gossypino-floccosa; caule alato, alis pinnatifidis, foliisque retrorsum pinnatifidis 15—20-jugis; lobulis sessilibus, ovatis, mucronatis; squamis exterioribus involucri cylindrici appendice lanceolata terminatis, interioribus obtusis, omnibus gossypinis; ligulis 8—10 in planta viva lateritiis.

Supra cuprifodinam Calabozo in praedio Catemu prov. Aconcagua legi. — Caules flexuosi, triangulares, vetustiores epidermide tenui, nitida, secedente vestiti. Folia usque ad 24 lin. longa, vix $3^1/_2$ lin. lata, cirrho simplici terminata. Pars superior caulis propter foliola alarum folio similima. Pedunculi terminales, folio ultimo breviores, involucrum 18 lin. longum, diameter 5 lin.; lignlae ultra pollicem longae, 3—$3^1/_2$ lin. latae. Species inter chilenses foliis pinnatifido incisis distinctissima et nullo modo cum *viciaefolia* confundenda.

779. Mutisia macrophylla Ph. An. Univ. Chil. 1861. 1. p. 62. An *M. ilicifolia* var.? M. caule scandente tereti, sulcato; foliis ovatis, profunde cordatis, semiamplexicaulibus, rotundatis, spinoso-dentatis, coriaceis demum glaberrimis, valde reticulatis, longe cirrhosis; cirrhis trifidis.

In prov. Ñuble legit orn. Pearce. — Cum *M. latifolia* et *spinosa*, quibus caulis alatus est, confundi non potest, et a *M. ilicifolia* a Cavanillesio figurata cirrhis trifidis, dentibus foliorum utrinque circa 30 nec 9, pagina inferiore foliorum concolore neque „tomento denso glauco" tecto differt, sed folia juniora in specimine quod suppetit non adsunt. In figura Cavanillesii Ic. t. 493 folia valde singularia, dentes supremi nempe longiora, divaricata, ita ut folia apice truncata apparcant; 18 lin. longa, 14 lin. lata sunt, in specimine meo vero usque ad 36 lin. longa et 27 lin. lata; margo in nostris fere integerrimus et spinis modo armatus, in fig. laudata autem e dentibus triangularibus magnis basi junctis formatus est. Specimen, quod cum figura Cavanillesii congruat nondum vidi.

780. Mutisia ilicifolia Cav. non eadem est atque *M. ilicifolia* DC. et Remy apud Gay. Cavanilles ic. t. 493 squamas involucri *exappendiculatas* depingit, et in descriptione expressis verbis eas *appendicibus destitutas* dicit; male igitur Candolleus, Prodr. VII. p. 7, et Remy apud Gay squamas „apice appendiculatas" dicit. Plantam, quae cum *M. ilicifoliae* Cav. omnino conveniat nondum vidi, sed plures formas, quas distinguendas censeo, donec forte postea experientia uberior eas iterum jungendas esse docebit. An character stabilis et essentialis squamae appendiculatae, et squamae appendicibus destitutae? an pubescentia? an cirrhi?

781. Mutisia reticulata Ph. M. glaberrima; caule tereti; foliis amplexicaulibus, ovatis, margine spinoso-dentatis,

valde coriaceis et reticulatis, apice in cirrhum plerumque trifidum terminatis; capitulis ovato-cylindricis; squamis late triangularibus, apice mucronatis et barbatis (exappendiculatis) interioribus *oblongis;* ligulis c. 12, lateritiis seu cinnabarinis, 4 lin. latis.

Prope Illapel lectam attulit orn. Landbeck. — Folia internodia subaequantia, 18 lin. longa, 14 lin. lata; dentes utrinque usque ad 16, triangulari-cuspidati, cirrhi longi. Capitula 14 lin. longa, 6 lin. lata. Squamae centro virides, margine late purpureae, infimae lanceolatae, cuspidatae, longiores aut breviores, reliquae latae, mucronatae, sed mucro inter lanam apicis absconditus. Ligulae (absque tubo) 14 lin. longae. — Convenit cum *M. ilicifolia* Cav. (non auct.) squamis involucri exappendiculatis, differt foliis longe alio modo dentatis; squamis involucri haud „lutescentibus, margine scariosis"; ligulis 12 non „octo." *M. grossedentata* mihi, Centur. nr. 29, statim squamis involucri fere omnibus appendiculatis, ligulis roseis etc. dignoscitur. *M. Volckmanni* huic proxime accedit, et forte *reticulata* cum ea jungenda, sed in unico specimine *M. Volckmanni* quod vidi, cirrhi *omnes breves* trifidi, squamae involucri interiores *late ovatae*, ligulae minores, angustiores.

782. **Mutisia Volckmanni** Ph. M. caule tereti striato, foliis glabris, ellipticis, cordato-amplexicaulibus, grosse spinoso-dentatis, *valde coriaceis, grosse reticulatis; cirrhis brevibus trifidis;* axillis gossypinis; involucri squamis exterioribus vix appendiculatis, late triangularibus, interioribus *latissimis*, rotundatis, apice tomentosis, antheris dimidiam ligulam aequantibus.

Prope Guanto in prov. Coquimbo legit orn. Volckmann. — A *M. ilicifolia* pro qua primum habui, cirrhis crassis,

brevibus, foliis multo magis coriaceis, grosse reticulato-venosis, laete viridibus, nec „pagina inferiore praesertim in foliis teneris tomento denso, glauco“ tectis satis differre videtur, ut speciei honorem ei tributemus.

783. Mutisia polyphylla Ph. M. caule tereti, foliisque ovatis, amplexicaulibus, margine spinoso-dentatis, *confertissimis, lanato-arachnoideis*; involucri subcylindrici glaberrimi squamis late ovatis, mucronatis, apice vix barbatis; ligulis c. 12, coccineis.

Prope Choapa invenit Landbeck. — Internodia vix 3 lin. longa! Folia valde reticulata, majora 12 lin. longa, 9 lin. lata; dentes utrinque circa 17; cirrhi 10—12 lin. longi. Capitulum 12 lin. longum, 5 lin. latum; squamae margine purpureae, interiores apice fere omnino purpureae; infimae acutae, omnino virides; nulla appendiculata. Ligulae 11 lin. longae, 3 lin. latae. — A *M. ilicifolia* Cav. et *M. reticulata* mihi etc. statim foliis confertissimis, lanato-arachnoideis, a reliquis squamis exappendiculatis differt.

784. Mutisia glauca Ph. M. glaberrima; caule tereti, foliisque ovatis, amplexicaulibus, coriaceis, dentato-spinosis *glaucis*; cirrhis simplicibus trifidisve; capitulis *crassis*; squamis late triangularibus, ovatis, mucronatis, parce tomentoso-barbatis; ligulis circa 12, latis, obscure puniceis.

Prope Concumen in prov. Aconcagua a Landbeckio reperta. — Folia internodia subaequant, majora 18 lin. longa, 12 lin. lata, longe minus reticulata quam in prioribus; dentes utrinque 12—15. Capitulum 15 lin. longum, 8 lin. crassum; squamae eadem ratione latiores jam in reliquis, glauco-virides, margine purpureo *angusto* cinctae, squamae interiores oblongae. Ligulae absque tubo 14 lin. longae, 5 lin. latae, pulcherrimae, velutinae, obscure puniceae.

785. **Mutisia tridens** Poepp. Secundum diagnosin folia tridentata. Specimina tria in prov. Colchagua quondam ab ornat. Drc. Simons lecta certo huc pertinentia, unum folia inferiora apice tridentata, superiora *quinquedentata*, infra apicem denticulis duobus utrinque instructa, imo folium *septemdentatum!* habet, et duobus reliquis *folia integerrima*; in omnibus folia inferiora haud cirrhosa, sed simpliciter mucronata. Num cirrhus revera tanti ponderis, ut volunt auctores? num recte *M. linearifolia* a *linifolia*, *M. taraxifolia* a *M. simata* separatae?

786. **Chuquiraga patagonica** Ph. Ch. annua, *pubescens*; foliis alternis linearibus, nervosis, planis, mucronato-spinosis; spinis in axillis foliorum quaternis, brevibus; involucri squamis exterioribus recurvatis, intimis longissimis, acutissimis, *aureis*; flosculis radii ♀, modo quinquedentatis.

E planitie *patagonica* ad radicem Andium Valdivianarum sita attulit Cox. — *Ch. anomalae* Don quam maxime similis, sed minus hirsuta, parce pubescens; folia trinervia, sc. margine crasso, nervo mediano aequali; squamae involucri longe magis numerosae, interiores multo longiores, aureo-croceae, nec stramineae, et flosculi ♀ in radio *quinquedentati*. — Folia majora 14 lin. longa, 1 lin. lata; paleae interiores capituli 14 lin. longae; corollae ♀ $6^2/_3$, corollae ☿ 5 lin. longae.

787. **Gochnatia pyrifolia?** Don. G. foliis oblongo-ellipticis, subintegerrimis, junioribus ramulisque puberulis, adultis glaberrimis, *punctatis et resina illinitis*.

Prope Illapel ab orn. Landbeck inventa. — Folia 11 lin. longa, 4—5 lin. lata, sed in eodem specimine folia 6 lin. lata ramulorum sterilium occurrunt; integerrima vel ad

apicem serrulata, obtusa vel saepius acuminata sunt. Flores more solito fasciculati. Omnium specierum *maxime resinosa*; cum de hac nota nihil in diagnosi *pyrifoliae* dicatur. Difficile, mihi saltem est, species chilenses ex opere Candollei et Gayi distingnere.

788. **Oriastrum pusillum** Poepp. et Endl. absque ullo dubium idem est atque *Aldunatea chilensis* Remy; Gay IV. p. 322. Cl. Remy ut videtur opus Poeppigii ipse inspicere non potuit, cum inspectio figurae statim omnium dubium abstulisset.

789. **Oriastrum pulvinatum** Ph. O. pusillum, dense albo-lanatum; foliis confertissimis, linearibus, basi sensim attenuatis, apice acutis, nervo mediano prominulo; capitulis 1 — 7 sessilibus; involucri squamis utrinque late scariosis, medio basi viridibus, deinde fuscis, macula fusca in lineam angustam, apicem attingentem terminata.

In „Cordillera de Doña Ana“ prov. Coquimbo legit orn. Völckmann. — Habitus speciminum majorum *Oriastri pusilli* Poepp. Diameter pulvinorum 20 lin.; capitulorum 5—6 lin. Folia 3 lin. longa, 1 1/2 lin. lata. Ligulae albidae. Squamae involucri extus pubescentes. Foliorum forma et squamis involucri facillime dignoscitur.

790. **Tyllloma? lanatum** Ph. T.? perenne, dense lanatum; caule ramoso, brevi, subcaespitoso; foliis inferioribus distantibus, rudimentariis, reliquis ad basin capitulorum confertis; involucrantibus, spathulatis, lamina transversa, obtusenla; squamis involucri lanceolatis, margine scariosis, extus hirsutis; ligulis 24 et ultra, pallide flavis, versus apicem in medio vitta violacea ornatis, extus dense sericeis.

Eodem loco cum priore lecta. — Ramuli 3-pollicares; folia 4—5 lin. longa, lamina ipsa 1 1/2—2 lin. longa, 2—

$2^1/_2$ lin. lata. Diameter capitulorum cum ligulis 14 lin.; ligula absque tubo $4^1/_2$ lin. longa; labium interius ejus *breve;* cauda antherarum plumosa. Pappus pilosus, apice modo hispidulus.

791. Tylloma pusillum Don?

Specimen ab orn. Volckmann in Andibus prope Illapel lectum, quod ad hanc speciem refero, ramos pollicares ostendit. Diameter capitulorum $4^1/_2$ lin. Squamae involucri bi — triseriatae, aequilongae, longe acuminatae, hyalinae (apud Gay *rubrae* „coloradas" dicuntur), exteriores lineari-lanceolatae, interiores lineares, basi albescentes. Lignlae basi luteae, apice albae. Flosculi disci aequales, hermaphroditi, tubulosi, bilabiati, labiis revolutis, aequalibus; antherae flosculos aequantes; alae lineares, antheram aequantes; caudae plumosae, anthera vix breviores; stigmata duo elongata, apice clavata. Achaenia glandulosa; pappus flavus, biseriatus, pilis subaequalibus scabris.

792. Pachylaena elegans Ph. P. glaberrima, multicaulis, foliis alternis, longe petiolatis, ante capitulum confertis, involucrantibus; lamina transversa, semicirculari, eleganter dentata.

In prov. Coquimbo prope „los Baños del Toro." Volckmann. — Radix simplex, alba. Rami 3—5, monocephali. Folia inferiora distantia, involucrantia, petiolo 7 lin. longo, lato, basi dilatato et lamina transversa, basi truncata, semicirculari, 4 lin. lata, $2^1/_2$ lin. longa, formata; pars arcuata marginis dentibus 12 — 16 elegantissime armata. Diameter capituli pulchre aurei cum ligulis 15 lin. Squamae involucri $4^1/_2$ lin. longae, 2 lin. latae, virides, margine angusto scariosae, albidae, inferiores saepe rudimento laminae foliis simili terminatae. Ligulae apice tricrenatae, extus appresse

pubescentes et medio purpurascentes. Stylorum rami obtusi, crassissimi. Pappus scaber. Qua nota differt *Pachylaena* à *Tylloma?*

793. Chondrochilus parvifolius Ph. Ch. dense albo-lanatus; radice annua, simplici; caulibus pluribus, vix pollicaribus, caespitem semiglobosum formantibus, foliis et lana dense onustis; foliis longe petiolatis, minutis, transversis, apice spinuloso recurvo munitis, integerrimis; squamis interioribus capituli appendice scariosa, ovata terminatis; ligulis circa 12, involucrum aequantibus, ochroleucis, flosculis tubulosis circa 14; stylis atropurpureis.

Una cum priore lecta est. — Habitus *Ch. involucrati* mihi. Petioli $2^1/_2$ lin. longi; lamina 1 lin. lata; diam. capitulorum $5^1/_2$ lin.

794. Proustia reticulata Ph. Ann. de la Univ. Chil. 1861. p. 50. Pr. ramis glabriusculis, vix glutinosis; foliis coriaceis, sessilibus, oblongis, spinoso-mucronatis et spinoso-dentatis, exquisite reticulatis, glabris, supra lucidis, subtus pallidioribus, subglutinosis, floralibus integerrimis; capitulis quadrifloris paniculam magnam, laxam, demum haud spinescentem? formantibus.

Loco dicto „Agua de Antibianco“ in prov. Atacama ad elevationem 2400 metr. invenit orn. Volckmann. — Folia inferiora fere 3 poll. longa, pollicem lata, dentibus utrinque 16 — 20; nervi laterales sub angulo recto a nervo mediano proficiscentes fere totidem, mox divisi rete densum, elegans, praesertim subtus valde conspicuum efformant. Panicula ovata, nondum bene explicata $6^1/_2$-pollicaris; rami ejus sub angulo recto divaricati, pyramidati. Squamae involucri vix puberuli, glutinosi. — Proxima *P. baccharoidi* Don, a qua foliis subtus glabris viridibus, longe magis coriaceis, exquisite reticulatis primo adspectu differt.

795. **Elachia spinulosa** Ph. an *E. euphrasioidis* var. ? E. annua, glaberrima, caule umbellatim ramoso; foliis obovali-spathulatis, *spinuloso-serratis*; ligulis extus *pubescentibus*.

In Andibus elatioribus prov. Santiago. — Ejusdem generis forte *Chaetanthera debilis* Meyen; numero minore dentium in foliis et appendicibus involucri unice mihi differre videtur.

796. **Nassauvia nivalis** Poepp. var. *sericea*. N. suffruticosa, repens; caulibus adscendentibus ramosis; foliis per totum caulem imbricatis, amplexicaulibus, crassis, ovalibus, acutis, recurvis, margine revoluto vix denticulatis, supra parallele impresse striatis et modo in sulcis puberulis, *caeterum glabris*, *subtus appresse sericeis*.

Hanc varietatem prope balneos de Chillan dictos invenit orn. R. Pearce.

797. **Nassauvia pyramidalis** Meyen var. foliis subtus puberulis, margine tenuissime serrulatis, dentibus utrinque 10; in forma, quam normalem considero, dentes utrinque modo 3; et pagina inferior foliorum glabra.

798. **Calóptilium Lagascae** Hook. et Arn. var. *lanata*.

Lana densissima caules et capitula extus involvens, ita ut apices foliorum modo e lana emergant, hanc varietatem distinguit; cum priore ad balneos illos occurrit. — Aliam varietatem floribus violaceis insignem in radice montis Aconcagua legit orn. Car. Friesach. Tertiam foliis distantibus, erectis, haud recurvis, ramisque quadripollicaribus insignem ex Andibus de Doña Rosa dictis provinciae Coquimbo attulit orn. Volckmann.

Portalesia procumbens Meyen ex mea sententia absque ullo dubio eadem planta.

799. Triptilium laxum Ph. Tr. annuum; caule erecto demum cymoso-ramoso; foliis caulinis sessilibus, oblongis, profunde dentatis, fere pinnatifidis, dentibus spinosis; capitulis terminalibus paucis, 2—3 in apice ramulorum congestis; bracteis anguste lanceolatis, spinoso-ciliatis et spina longa terminatis.

In prov. Coquimbo legit orn. Volckmann. — Caulis 5—7 poll. altus. Folia 7 1/2 lin. longa, fere 2 lin. lata, dentibus utrinque circa 7; dentes sensim angustiores et longius acuminati fiunt, usque dum in bracteis 3 lin. longis merae spinae seu setae remaneant; quarum bracteae utrinque tres 1 1/3 lin. longas ostendunt. Capitula plerumque terna, 2 – 2 1/2 lin. longa; flores lactei; pappus albus. — *Tr. capillato* proximum sed differt: foliis caulinis fere pinnatifidis; floribus lacteis (flores speciminum *Tr. capillati* anno 1831 a cl. Gay, imo illa a cl. Bertero 1818 lecta usque ad diem pulchre caerulei); squamis involucri strictis, apice longe breviore, haud reflexo terminatis. Pubescentia eadem.

800. Triptilium andinum Ph. Tr. annuum, ramosum; depressum; foliis caulinis oblongis, cuneatis, paucidentatis, dentibus spinosis; bracteis lanceolatis, acuminatis, utrinque spinas setiformes duas gerentibus; capitulis terminalibus, in apice ramulorum brevium aggregatis; squamis involucri breviter spinosis, subrectis; corollis albis.

Ex Andibus prov. Santiago attulit orn. Laudbeck. — Caulis vix pollicem altus, sed rami inferiores interdum quadripollicares. Folia caulina inferiora interdum 6 lin. longa; dentibus utrinque 1—3 munita, ramea modo 3-linearia; folia floralia lanceolata utrinque spinis duabus armata, quae diametrum folii vix superant, ideoque longe minores sunt quam in *Tr. capillato*. Habitu magis cum *Tr. gibboso* con-

venit, a quo statim forma foliorum floralium minime cordato-subrotundata concava differt.

801. **Triptilium tenuifolium** Ph. Tr. ⊙?, a basi ramosum, pubescens; foliis pinnatifidis, *laciniis* apice spinescentibus, *rhachique filiformibus*; capitulis in apice ramorum fasciculato-congestis, albis; squamis involucri lanceolatis, cuspidatis.

In planitie Patagoniae ad radicem Andium Valdivianarum leg. orn. G. Cox. — Radix fusca, filiformis, 4 poll. longa. Rami $2^1/_2$-pollicares, diffusi. Folia radicalia emarcida, caulina majora $3^1/_2$ — 4 lin. longa, 1 lin. lata, segmentis utrinque quatuor, suprema trifida. Capitula $1^2/_3$ lin. longa. Bracteae ad basin fasciculorum et capitulorum integerrimae, lanceolato-lineares, squamis involucri duplo breviores. — Facili negotio ab affinibus foliorum forma distingnitur.

802. **Panargyrum pectinatum** Ph. An. Univ. Chil. 1861. 1. p. 63. P. caule fruticuloso adscendente; ramis appresse pubescentibus, subtomentosis; foliis glabriusculis, omnibus distantibus, pectinatis, dentibus utrinque binis vel ad summum ternis; floribus in apice elongato ramorum paniculatis; ramis paniculae trifloris, inferioribus elongatis; squamis involucri exterioribus scariosis; pappo uniseriato.

Prope balnea de Chillan dicta in Andibus elatioribus detexit orn. Pearce. — Caulis pedalis et major, per totam longitudinem foliis aequidistantibus onustus, quae modo in apice florifero distantes fiunt. Folia 10 — 12 lin. longa, demtis dentibus lateralibus vix $1^1/_3$ lin. lata, cum iis fere 6 lin. lata; dentes fere sub angulo recto divergunt et, sicut apex, spinosi sunt. Rami inferiores paniculae 10 lin. longi; ad basin capitulorum lateralium bractea brevis, capitulum dimidium subaequans conspicitur. Capitulum intermedium sessile. Invo-

lucrum 4 lin. longum; squamae exteriores scariosae brunneae, etiam juniores primo adspectu fere glaberrimae, accuratius examinatae ciliatae et pilis quibusdam longiusculis raris in dorso munitae. — An pro varietate *P. spinosi* habendum? Inflorescentia, squamae exteriores capitulorum scariosae, pubescentia, dentes pectinei foliorum differentiam sistunt.

803. **Panargyrum Diazi** Ph. P. sericeum, ramosissimum; foliis lanceolatis, pinnatifido-dentatis, inferioribus confertis, superioribus remotis, dentibus utrinque 3 — 4; capitulis circa 8 — 10 in apice ramorum confertis; squamis involucri breviter spinosis; pappi uniseriati paleis latiusculis.

In monte Tinguiguirica dicto invenit ornat. W. Diaz. — Rami hornotini 2 — 2 1/2-pollicares, sericei, praesertim novelli. Folia omnia conformia, 4 — 4 1/2 lin. longa. — Differt a *P. spinoso* foliis praesertim floralibus minus longe acuminatis, squamis involucri acumine multo breviore terminatis, pilis pappi fere duplo latioribus etc.

804. **Panargyrum heterophyllum** Ph. P. hirsutum, ramosissimum; foliis omnibus confertissimis, primis brevissimis, squamaeformibus, lanceolatis, utrinque bispinosis, sequentibus latis, ovatis, dentato-spinosis, dentibus utrinque 3 — 4, reliquis duplo longioribus, lanceolato-linearibus; basi spinis duabus utrinque armatis, pungentibus; capitulis aggregatis, sessilibus, involucratis; foliis floralibus conformibus, capitula superantibus.

In Andibus prov. Santiago occurrit. — Ramuli bipollicares. Folia prima squamaeformia, vix 2 lin. longa, 3/4 lin. lata; sequentia 5 lin. longa, cum dentibus 3 lin. lata, ultima 11 lin. longa, apice 8 lin. longo, spinis baseos 1 1/4 lin. longis. Squamae internae capitulorum spina brevi terminantur. Pappus biserialis, paleis tenuibus, fere filiformibus. — Folio-

rum differentia non in omnibus speciminibus tam notabilis, sed semper haec species foliorum forma, foliis supremis involucrantibus etc. distingui potest.

805. **Panargyrum latifolium** Ph. P. caule dense villoso; foliis fere *aeque distantibus*, dense sericeis, *ovato-lanceolatis*, pectinato-spinosis, dentibus utrinque circa 3; squamis involucri *abrupte* in spinam terminatis, pappum uniserialem aequantibus; *paleis* pappi *dilatato-complanatis*.

In Andibus prov. Santiago legit ornat. Landbeck. — *Panargyrum spinosum*, quod ex descriptionibus Candollei et Remy apud Gay determinavi sic mihi definiendum videtur: *P. spinosum* P. caule dense villoso; foliis *basi confertis*, *apice distantibus*, *lanceolatis*, pinnatifido-dentatis, spinosis, sericeis, demum glabrescentibus; squamis involucri *sensim* in spicam abeuntibus, pappum superantibus; pappi uniserialis paleis *capillaceis*.

Folia *P. latifolii* $7^1/_2$ lin. longa, absque dentibus 2 lin. lata, cum illis $4^1/_2$ lin. lata, dentes eorum longiores et latiores quam in *P. spinoso*.

806. **Chevreulia? nivea** Ph. Ch.? suffruticosa, humillima, caespitosa, niveo-tomentosa; foliis spathulato-oblongis, obtusis, confertissimis; capitulis terminalibus, solitariis, sessilibus. An. Univ. Chil. 1862. 2. p. 380.

In montibus Nevado de Chillan, Cerro de Azufre juxta nivem perpetuam inveni. — Caespites vix pollicem altos, diametri 6 — 12-pollicum, densissimos, candidissimos in arena vulcanica format, qui a distantia visi maculae nivis esse videntur. Folia confertissima, ad summum $2^1/_2$ lin. longa, 1 lin. lata, obtusa, basi paullulum augustata, omnino nivea. Diam. capitulorum 5 lin., receptaculi $^3/_4$ lin. Squamae involucri obtusae, scariosae, pallidae. Florum fructuumve jam

sub finem Februarii nullum vestigium remanserat. — A *Ch. gnaphalioidi* et *xeranthemoidi* Don foliis latis, obtusis etc. differt.

807. **Leunisia** Ph. novum genus *Trixidearum.*

Capitulum multiflorum, homogamum, discoideum. Involucrum ovato-cylindricum, pluriseriale, herbaceum, squamis aequalibus. Receptaculum planum, nudum. Corollae numerosae, omnes tubulosae, glabrae, bilabiatae, labiis aequalibus, externo revoluto, tridentato, interno tripartito. Antherae corollam aequantes, longe alatae et caudatae, alis linearibus, caudis elongatis, apice plumosis. Stylus glaber, rami exserti, satis elongati, truncati, glabri. Achaenia (immatura) cylindrica, glandulosa. Pappus uniserialis, paleis numerosis, capillaribus, hispidis. Dixi in honorem amicissimi Johannis Leunis, auctoris libri optimi: Synopsis trium naturae regnorum sermone germanico 1844 evulgati.

Leunisia laeta Ph. L. fruticosa, tota pubescens et viscosa; ramis monocephalis, dense foliosis; foliis sessilibus, ovato-oblongis, acuminatis, integerrimis, aut uno alterove dente majusculo utrinque munitis; pedunculis apice incrassatis; squamis involucri exterioribus lanceolato-linearibus, interioribus subulato-linearibus, omnibus longe acuminatis; floribus involucrum superantibus luteis.

Prope Huatalame in prov. Coquimbo ad c. 2500 metr. s. m. invenit orn. Volckmann. — Rami 6—8-pollicares. Folia erecta, laete viridia, internodia saltem bis aequantia, majora 16 lin. longa, 7 lin. lata. Involucra $11^1/_2$ lin. longa, $8^1/_2$ lin. crassa. Ovarium 4 lin. longum; corollae $8^1/_2$-lineares; alae antherarum albidae, styli crocei. Pappus albus, corollam aequans.

808. **Pleocarphus dentatus** Ph. Pl. caule fruticoso, ramoso; ramis elongatis, crassiusculis, pubescentibus, valde

glutinosis; foliis confertis, sessilibus, linearibus, grosse et longe dentatis, margine revolutis, supra puberulo-asperis, subtus venis maxime prominulis, fasciculos foliorum linearium integerrimorum in axillis gerentibus; capitulis solitariis pedunculatis, in paniculam spicatam dispositis. Vid. Ann. de la Univ. Chil. 1861. p. 51.

Prope Chañaral in prov. Coquimbo invenit Volckmann. — Folia fere 2 1/2 poll. longa, inclusis dentibus circa 3 lin. lata, dentes utrinque circa 6 — 8, alterni; folia floralia conformia, sed pedunculorum et illa quae in fasciculis observantur integerrima. Capitula paullo majora et longe minus numerosa quam in *Pl. revoluto*, a quo facillime foliis caulinis longe majoribus, grosse dentatis, magis scabris, hispidis, caulequ valde glutinosis distinguitur.

809. **Chabraea coquimbana** Ph. Ch. caule ramoso, glanduloso-puberulo; foliis radicalibus ...., caulinis amplexicaulibus, pinnatifidis (laciniis oblongo-ovatis, tridentatis), supra glanduloso-pilosis, subtus vix arachnoideis, supremis quinquelobis; floribus magnis, longe pedunculatis, caerulescentibus; pedunculis squamisque involucri exterioribus dense glanduloso-pubescentibus. V. Ann. de la Univ. Chil. 1861. p. 50.

Prope Huanta in prov. Coquimbo ad 4000 metr. supra mare invenit oru. Volckmann. — Caulis ut videtur pedalis, inanis, pilis glandulosis sat dense obsitus, laete viridis. Folia caulina inferiora 4 poll. longa, cum laciniis 2 poll. lata; inter lacinias modo 2 — 3 lin. lata; laciniae circa 6, oppositae, divaricatae, pollicem longae, acuminatae, mucronatae, utrinque dente magno triangulari acuto, mucronato auctae; lobi basales retrorsum vers', acuti. Folia suprema elongata, lanceolata, basi utrinque lobis duobus acutis munita. Pedunculi circa 15 lin. longi, dense pubescentes, nudi aut bracteam subulatam gerentes. Squamae capituli 4 — 4 1/2 lin. longae,

limbus ligularum extensus involucrum aequat. Achaenia squamulis piliformibus nitidis obsita. — Proxima *Ch. tenerifoliae* mihi, a qua foliis caulinis a basi lata pinnatifidis, supremis quinquelobis, neque ovatis, integris differt; a *Ch. glandulosa* caule minime sublanuginoso, foliis caulinis profunde pinnatifidis, squamis involucri minime lanuginosis etc.

810. **Chabraea Landbecki** Ph. Ch. perennis; caule arachnoideo et puberulo, glanduloso; foliis supra glanduloso-hirtis, viridibus, subtus incanis, arachnoideo-lanatis, pinnatifidis, radicalibus petiolatis, caulinis amplexicaulibus, auriculatis; lobis utrinque circa 6, ovatis, grosse-dentatis, supremis basi ovatis, trifidis, longe acuminatis; panicula circa 8-flora; pedicellis elongatis; squamis calycinis subaequalibus, longe acuminatis, dorso glanduloso-hispidis.

In Andibus prov. Santiago leg. orn. Landbeck. — Caulis bipedalis. Folia radicalia 7 poll. longa, 1 3/4 poll. lata; lobus terminalis maximus, ovatus, subtrilobus, lobis utrinque 1—2-dentatis; sequentes tridentati, inferiores sensim breviores, denique ad dentem late triangularem reducti. Caulina majora 5-pollicaria, 1 1/3 poll. lata, basi fere sagittata. Pedicelli 12—14 lin. longi, nigricantes, pilis glandulosis articulatis dense vestiti, bracteolamque unam alteramve gerentes. Squamae involucri bi- seu triseriatae, majores 4 1/2 lin. longae, exteriores modo dimidiae longitudinis, glanduloso-hirtae sed minime lanuginosae. Pappus niveus. — Foliis cum *Leuceria acanthoidi* convenit, a qua paleis nullis, foliorum caulinorum lobis latis, pubescentia etc. differt. — A *Chabraea tenerifolia* mihi foliis floralibus basi divisis, squamis involucri duplo saltem pluribus, pilis glandulosis nigris etc. discrepat. An *Leuceria Meyeniana?* sed squamae involucri certissime biseriales, neque uniseriales.

811. **Chabraea concinna** Ph. Ch. perennis? caule glandulose-hirto, haud lanuginoso, apice ramoso; foliis radicalibus ....; caulinis sessilibus, auriculatis, pinnatifidis, supra glandulosis, subtus arachnoideis; lobis ovatis, dentatis; supremis laciniato-dentatis; panicula cymosa, multiflora; pedicellis bracteolatis, unifloris; squamis involucri lanceolatis, acutis, viridibus, dorso glanduloso-hispidis; floribus pulchre coeruleis.

In Andibus de Illapel dictis invenit ornat. Volckmann. Summitates caulis quae suppetunt pedales. Folia caulina inferiora $3^2/_3$ poll. longa, $1^1/_3$ poll. lata, inferiora in petiolum alatum attenuata, basi auriculata, amplexicaulia; lobi circa 6 utrinque, ovato-oblongi, acuti, utrinque 1—2-dentati; supremi simpliciter dentati. Bracteolae lineares, integerrimae. Longit. squamarum involucri $3^1/_4$ lin. Panicula 20 — 30-flora.

812. **Chabraea thermarum** Ph. Ch. 4; caule robusto, apice paniculatim ramoso, dense glanduloso-hirtello; foliis subtus arachnoideis, radicalibus lyrato-pinnatifidis, lobis acutisculis, plerisque tridentatis; caulinis auriculato-amplexicaulibus, pinnatifido-dentatis, dentibus peracutis c. 7 utrinque; supremis modo basi dentatis, caeterum integerrimis, linearibus; capitulis magnis, coeruleis; squamis involucri dorso glanduloso-hispidis. An. Univ. Chil. 1862. p. 380.

Prope thermas de Chillan dictas ad altit. 5500 — 7000 ped. s. m. legi. — Caulis bipedalis, basi 2 lin. crassus, inferius striatus. Folia radicalia 9 poll. longa, $2^1/_2$ poll. lata, basi in petiolum sensim attenuata, versus apicem dilatata, acuta; lobi c. ad tertiam latitudinis partem incisi, oblique oblongi, superius dente uno magno, inferius plerumque duobus muniti, utrinque c. 7, supremi approximati, confluentes.

Folia caulina intermedia 4 poll. longa, cum dentibus 12—14 lin. lata; summa linearia, integerrima, sensim in bracteas abeuntia. Squamae involueri fere 6 lin. longae, lineares, plerraeque in apicem cuspidatum terminatae. Flores albi.

813. **Homoeanthus pectinatus** Ph. H. caulibus adscendentibus, monocephalis; foliis basi confertis, coriaceis, linearibus, pungentibus, glabris, margine cilias spinaeformes *distantes* gerentibus; squamis involucri exterioribus more foliorum ciliatis, intimis fere omnino herbaceis, acutissimis. Au. Univ. Chil. 1862. 2. p. 396.

In latere Mendocino Andium in transitu „Portillo de los Piuquenes“ invenit orn. W. Diaz. — Ramus qui suppetit $3^1/_2$-pollicaris. Folia ad summum 10 lin. longa, $^2/_3$ lin. lata, spinulis sub angulo recto proficiscentibus circa *sex* utrinque armata, inferiora patentia, imo recurva. Pars nuda pedunculi vix pollicaris. Squamae involucri exteriores 4 — 5 lin. longae, $1^2/_3$ lin. latae, interiores 10 lin. longae, acutissimae, longe mucronatae, vix ad basin utrinque anguste membranaceae. — Ab *H. lineari* Less. statim spinulis paucis, distantibus in margine foliorum, ab *H. echinulato* Cass., nec non *Doniano* Less. foliis glaberrimis etc. distinguitur.

814. **Clarionea carthamoides** Don var. *crispa*. Cl. caulibus vix bipollicaribus, basi foliorum petiolis persistentibus nigris, fibrosis vaginatis; foliis 21—24 lin. longis; laciniis crispatis; spinulis marginis densissimis, brevioribus quam in forma normali; squamis involucri glaberrimis, latioribus, retusis, mucronatis, saepe violaceis.

In Andibus elatioribus prov. Santiago occurrit.

815. **Clarionema virens** Don var. *humilis*. Cl. foliis latis, brevibus, pinnatifido-incisis, scapum 1 — $1^1/_2$-pollicarem aequantibus, squamis involucri latis.

In Andibus de Illapel dictis legit orn. Volckmann. — Folia inferiora 14 1/2 lin. longa, 5 lin. lata, utrinque triloba, lobis ovatis, contignis; etiam folia caulina latiora, obtusiora quam in forma normali, sed in capitulis praeter squamas paullo latiores differentia nulla.

816. **Clarionea variabilis** Ph. Cl. caule simplicissimo, monocephalo, 6—9-pollicari, bifolio, glanduloso; foliis glabris, radicalibus jam integris, oblongo-spathulatis, jam pinnatifidis, lobulis bi- vel tridentatis, apicibus vix unquam aristato-spinulosis; involucri biserialis squamis exterioribus dentato-pectinatis, interioribus fere subulato-acuminatis.

In Andibus de Ranco dictis prov. Valdiviae in elevatione c. 5000 ped. s. m. locis apertis herbosis invenit orn. Pearce. — Foliorum forma summopere variabilis. Jam radicalia 21 lin. longa, 8 lin. lata, integra, utrinque subquadridentata, jam magis minusve profunde pinnatifida, lobis utrinque circa 6. Folia caulina sensim in formam squamarum exteriorum calycis abeunt, quae 6 1/2 lin. longae, perfecte lineares, jam pectinato-ciliatae, jam modo profunde dentatae sunt. Squamae interiores 8 1/2 lin. longae, jam laete virides, jam nigrescentes, margine augusto, scarioso. Flores pallide caerulei.

817. **Hieracium andinum** Ph. H. scapo stricto, simplicissimo, hispidulo; foliis membranaceis, spathulato-lanceolatis, subdenticulatis, hirtellis; floribus paucis, subsessilibus; squamis involucri hispidissimis, medio nigris.

Eodem loco cum priore unicum specimen invenit laud. Pearce. — Folia 3 1/2 poll. longa, 7 lin. lata, sensim in petiolum brevem attenuata. Scapus 4-pollicaris, versus apicem dense hispidulus, aphyllus praeter bracteas 2—3, lineares, subulatas. Diamet. capitulorum 4 lin., longitudo involucri 3 1/2 lin. Ligulae involucro subbreviores sed forte magis

explicatae involucrum aequant vel superant. — Ab *H. glaucifolio*, foliis minime coriaceis, glaucis, utrinque pilosis, involucris hispidissimis nec glabris, cano-floccosis satis superque differre videtur.

818. **Psilopogon** Ph.*) novum genus *Cichoriacearum*.

Capitulum multiflorum. Involucrum cylindricum, octophyllum. Receptaculum nudum. Achaenia uniformia, costata, laevia; sensim in rostrum attenuata. Pappus pluriserialis, pilis aequilongis, vix sub lente in parte inferiore scabris. — Differt a *Tragopogone* L. achaeniis laevibus, pappo simpliciter piloso nec plumoso.

Ps. albiflorus Ph.

Prope Vichuquen in parte litorali prov. Colchagua frequentem invenit orn. Landbeck. — Specimina majora fere $1\frac{1}{2}$ pedes alta. Radix albida, simplex, $2\frac{1}{2}$ lin. crassa, vix 6 poll. longa. Tota planta glaberrima, glauca, parce ramosa, ramis monocephalis. Folia erecta, plurima radicalia, oblongo-linearia, inferiora basi valde attenuata, usque ad 6 poll. longa, pollicem lata, dentibus mucronatis 3 — 4 utrinque, et inter eos sinuata, vel integerrima, mucrone crasso, obtuso, velut glanduloso terminata; caulina mediana fere amplexicaulia, saepe basi subcordata, exacte lineari-oblonga; superiora ovata, suprema bracteaeformia. Rami erecti, apice nudiusculi. Involucrum basi una alterave bracteola cinctum, cylindricum; foliola ejus 8 lin. longa, 1 lin. lata, linearia, demum sensim acuminata, apice tamen ipso obtusiusculo. Ligulae numerosae, satis carnosae, 4 lin. involucrum superantes, *albae* (Landbeck). Achaenia $4\frac{1}{2}$ — 5 lin. longa; pappus sordide albus 5—6 lin.

---

*) ψιλός calvus, πώγων barba.

819. **Achyrophorus brevicaulis** Ph. A. glaber, foliis radicalibus rosulatis, oblongo-linearibus, acutis, subintegerrimis; vel lobulato-dentatis; caule monocephalo, foliis vix longiore, foliis paucis linearibus, infimis semiamplexicaulibus, supremis bracteaeformibus onusto; squamis involucri exterioribus hispidis, omnibus obtusis; paleis linearibus, sensim acuminatis; achaeniis breviter rostratis, praesertim exterioribus.

Prope Corral detexit orn. Krause. — Folia radicalia 30 lin. longa, 6—7 lin. lata, in petiolum brevem angustata. Caulis ad summum 5-pollicaris, plerumque modo tripollicaris, siccus sulcatus, sub flore paullulum incrassatus et hispidus. Involucrum 6 lin. longum. Paleae pallo breviores. — *A. andinus* DC. achaeniis exterioribus brevius rostratis convenit, sed caule elongato et squamis involucri paucioribus satis differt. *A. tenuifolius* DC. squamis involucri glabrescentibus etc., *A. Lessingii* Schultz Bip. foliis radicalibus hirsutis, achaeniis longe rostratis; *A. Jussieui* Schultz Bip. achaeniis peripheriae multo longioribus; *A. thrincioides* Remy caule basi nudo, foliis hispidis; *A. tenuifolius* Remy caule pedali etc. differunt.

820. **Achyrophorus angustissimus** Ph. A. glaberrimus; caule monocephalo; nudo, foliis radicalibus linearibus integerrimis, in petiolum longum attenuatis; squamis involucri paucis, anguste linearibus, achaeniis .... (erostribus?).

Inter lacus Llanquihue et Todos los Santos invenit orn. Cox. — Caulis 14 poll. altus, tantummodo foliis duabus minutis, 3 lin. longis onustus. Folia radicalia majora ultra 4 poll. longa, modo $1\frac{1}{3}$ lin. lata; breviora 15 lin. longa, $1\frac{1}{2}$ lin. lata, omnia integerrima. Involucrum 8 lin. longum, squamis ad summum 24 constans, quarum nulla latitudinem 1 lin. aequat. Achaenia matura non adsunt. — Involucri squamis

paucis, oblongo-linearibus, subnigricantibus cum *A. andino* DC. convenit, sed foliis integerrimis, angustissimis, squamis involucri laevibus nec dorso hispidis, (achaeniis erostribus?) differt; ab *A. tenuifolio* DC. vero squamis involucri anguste linearibus neque „ovali-oblongis“ valde discrepat.

821. **Stevia tenuifolia** Ph. St. fruticosa, puberula; foliis oppositis, superioribus alternis, sessilibus, linearibus, uninerviis, integerrimis, aut uno alterove dente utrinque munitis; floribus cymosis, albis; achaeniorum pappo paleis brevibus, setisque 3—4 inaequalibus formato. An. Univ. Chil. 1862. 2. p. 397.

In latere Mendocino Andium in transito „Portillo de los Puiquenes“ dicto invenit orn. W. Diaz. — Modo ramuli 6—8-pollicares suppetunt, basi vix $^3/_4$ — 1 lin. crassi. Folia majora 14 lin. longa, 1 $^1/_2$ lin. lata, jam internodiis longiora, jam breviora, fere omnia ex axillâ ramulum emittentia. Capitula 2—7 in quovis ramo; involucrum 4 lin. longum.

822. **Eupatorium Volckmanni** Ph. Eu. caule suffruticoso, tereti, pulverulento-velutino, cinereo; foliis minutis, brevissime petiolatis, subfasciculatis, oblongis, in petiolum attenuatis, crenatis, subtus reticulatis; floribus laxe paniculatis, fere cymosis; pedicellis capitula aequantibus vel superantibus; capitulis 9—12-floris; squamis involucri linearibus, obtusiusculis, subuniseriatis, pulverulento-velutinis; achaeniis costatis, laevibus? An. Univ. Chil. 1861. p. 51.

Prope Vallenar invenit orn. Volckmann. — Folia fere exacte eadem atque in *Eu. folioloso*, sed inflorescentia, panicula laxa fere cymosa, valde distincta; capitula majora, longe pedicellata (pedicelli 4—4 $^1/_2$ lin., pedicelli *Eu. foliolosi* vero 1 $^3/_4$ — 2 lin. longi) pubescentia squamarum involucri longe brevior, et achaenia, uti videtur, laevia.

823. Tripolium uniflorum Ph. Tr. glaberrimum; repens; ramis adscendentibus, paucifoliis, monocephalis; foliis linearibus, amplexicaulibus; radicalibus fere oblongis in petiolum attenuatis, caulinis supremis quadrilinearibus; achaeniis exquisite costatis, hispidis, pappo e flavescente albo.

In insula Chacao archipelagi Chonos dicti ad marginem rivulorum invenit orn. Doctor Fouck. — Rami sexpollicares, interdum basi dense foliati; folia inferiora 24 lin. longa, radicalia usque ad 3 poll. longa, $2^2/_3$ lin. lata, margine dentibus minutis, appressis, facile praetervidendis, 2 — 4 interdum munita. Diameter capitulorum 7 lin.; squamae involucri subaequales, magis minusve purpurascentes, interiores 3 lin. longae. Ligulae 3 lin. longae, apice roseae, bidentatae, fere $^1/_2$ lin. latae. — Differt a *Tr. conspicuo* caule semper unifloro, foliis caulinis majoribus, pappo albido, achaeniis longe minus hirsutis et exquisite costatis.

824. Tripolium andimuum Ph. Tr. caule vix spithameo, 1—2-floro, hirtello; foliis linearibus, obtusiusculis, radicalibus basi attenuatis, subspathulatis, caulinis basi latioribus, semiamplexicaulibus, omnibus integerrimis, margine hirtello-ciliatis; squamis involucri pluriseriatis, subaequalibus, exterioribus exacte linearibus, apice rotundatis, interioribus breviter acuminatis; ligulis latis, distincte 5-nerviis, apice vix dentatis.

In prato quodam 5000 ped. s. m. elevato Andium de Rauco dictarum prov. Valdivia invenit orn. Pearce. — Folia radicalia majora 16 lin. longa, 3 lata, caulina inferiora 24 lin. longa, $2^1/_2$ lin. lata; squamae involucri virides, exteriores $2^1/_4$, interiores vix 3 lin. longae; ligulae radii biseriatae. Achaenia pilosa; pappi setae scabrae, flavescentes. — Antecedenti primo adspectu simillimum, neque in caule foliisve differentiam facile invenies, sed satis manifestum discrimen in

capitulo; sqnamae enim in *Tr. unifloro* obscure purpureae, exteriores jam acuminatae (neque rotundatae ut in *Tr. andino*) $2^1/_2$ lin. longae, interiores fere duplo longiores, 4-lineares) longius acuminatae, ligulae multo angustiores, distincte tridentatae, nervis obsoletis.

825. **Noticastrum pradense** Ph. *Aster pradensis* mihi Cent. 251. Secundum cl. Hohenacker est *N. sericeum* Lessing, sed cum sequente confudit, sicut ipse antea.

826. **Noticastrum sericeum** Less. N. caulibus adscendentibus, simplibus vel parce ramosis *albo-lanatis;* foliis in petiolum attenuatis, *fere lanatis*, caulinis vix minoribus, supremis modo sessilibus, omnibus lanceolatis *), integerrimis, acutis; involucri squamis lanceolatis, omnibus acutis, dorso *sericeis;* floribus purpurascentibus.

In maritimis prov. Concepcion ad Talcahuano, Lota, Coronel legi. — Caules interdum quinquepollicares, interdum vix unipollicares. Folia radicalia circa 9 lin. longa, 2 lin. lata, caulina summa in specimine majore fere 12 lin. longa, 2 lin. lata; omnia pilis mollibus satis longis, e basi bulbosa ortis, appressis vestita. Squamae involucri majores 8 lin. longae, margine versus apicem purpureo tinctae. Pappus rufescens. Specimina prope Coronel lecta radios albos subtus linea purpurea notatos ostendunt, illa prope Talcahuano lecta ni fallor radiis omnino purpureis gaudebant; nullibi „flavescentes“ vidi. — Differt a *N. adscendente* DC., quod nondum vidi, caulibus albo-lanatis neque hispidis, foliis radicalibus brevibus nec 3 — 4 poll. longis, squamis involucri sericeis nec dorso breviter hispidis; a *N. pradensi* meo vero cauli-

---

*) non oblongis uti vult Remy Gay IV. p. 19 sub nom. *Noticastrum Haplopappus.*

bus albo-lanatis, foliis pilis mollibus appressis vestitis nec pilos brevissimos, erectos, glandulosos gerentibus ideoque hirtis, squamis involucri sericeis nec hirtis discrepat.

827. **Aster? breviflorus** Ph. A.? glabriusculus aut pilis brevissimis densissimis albis hirtellus et incanus; ramis virgatis, 1—3-cephalis; foliis sessilibus, linearibus, integerrimis; involucri multiseriati squamis linearibus, incano-hirtellis; ligulis albis involucrum modo sesquies aequantibus.

Habitat prope Quillota (Germain), in collibus subandinis prope S. Isidro prov. Coquimbo (Gay no. 746), aliisque locis ejusdem provinciae (Volckmann). — Rami pedales et ultra, vix 1 lin. crassi, teretes, vix striati, in specimine Gayano quod jam deflorucrat fere glabri. Folia internodia paullo superantia, erecta, obtusa, 10—12 lin. longa, 1 lin. lata. Pedunculi $1\frac{1}{2}$ — $3\frac{1}{2}$-pollicares, bracteis linearibus nonnullis vestiti. Diameter capitulorum 7 lin., squamae involucri majores vix ultra 3 lin. longae. Ligulae ultra 40, vix ultra $\frac{1}{3}$ lin. latae, uniseriales, femineae; styli rami elongati, filiformes, glabri. Flosculi disci cylindrici, quinquedentati, dentibus erectis, nervisque quinque aurantiacis ornati; antherae alatae, ecaudatae; stylorum rami breves, obtusiusculi, extus puberuli. Receptaculum nudum, planum, alveolatum, margine alveolarum subfimbriato. Achaenia compressa, margine aurantiaco binervosa, hispida. Pappus uniseriatus, pilis hispidis, rufescens.

828. **Chrysopsis? andicola** Ph. Chr.? hirsuta, ramulis virgatis, apice nudis, monocephalis; foliis herbaceis, lineari-lanceolatis, integerrimis, trinerviis, margine et subtus in nervo mediano longe ciliatis, nervis lateralibus margini proximis; flosculis radii *pluriseriatis*, luteis. Univ. Chil. 1862. 2. p. 398.

In latere Mendocino Andium transitus Portillo de los Piuquenes. — Rami qui suppetunt pedales, basi $^3/_4$ lin. crassi, striato-angulati. Folia erecta, internodia bis aequantia, sessilia, 9 lin. longa, fere 2 lin. lata. Pars rami superior nuda s. pedunculus quadripollicaris, vix una alterave bractea subulata onusta. Diameter capitulorum pollicaris; squamae involucri pluriseriatae, subcalyculatae, $3^1/_2$ lin. longae, exteriores laxae, filiformi-setaceae, herbaceae, sequentes lineares, acuminatae, herbaceae, intimae similes, sed inferius fere omnino membranaceae. Receptaculum nudum epaleatum. Flores radii ♀, *pluriseriati*, c. 80—100, ligulati, angusti, bidentati, 4-nervii, $3^1/_2$ lin. longi; flores disci forte 250 et plures, ☿, tubulosi, quinquedentati, dentibus erectis, modo 2 lin. longi. Antherae ecaudatae. Styli florum ♀ ramis linearibus, acutiusculis, glaberrimis, ☿ brevioribus, apice truncatis, papillosis. Achaenia immatura $1^1/_6$ lin. longa, erostria, forte demum costata; pappus conformis, biseriatus, paleis seriei exterioris brevibus, oblongis, decem, interioris decem setiformibus, scabris, flosculum aequantibus. — Ligulis pluriserialibus a reliquis speciebus valde abhorret, sed caeteri characteres generici convenire videntur.

829. **Chiliophyllum** Ph. *), novum genus *Asterearum*.

Capitulum multiflorum, heterogamum, radiatum. Involucri turbinati squamae subbiseriatae circa 15, coriacei, linearilanceolatae, obtusiusculae. Receptaculum planum, glabrum, paleatum; paleae longitudine squamarum involucri, subherbaceae. Corollae radii c. 8, femineae, ligulatae, latiusculae, 9-nerviae, apice tridentatae, luteae; disci hermaphroditae, tubuloso-infundibuliformes, quinquefidae, laciniis revolutis. Antherae breviter alatae, ecaudatae. Stylus florum ♀ ramis

*) *χίλιοι* mille, *φύλλον* folium.

elongatis, linearibus, divergentibus, acutiusculis, glaberrimis; florum ♀ ramis brevibus, crassioribus erectis, obtusis, apice papillosis distinctus. Achaenium erostre, pilis raris vestitum, maturum costatum. Pappus uniseriatus, setis scabris. — A *Chiliotricho* ligulis luteis et stylorum disci ramis extus haud papillosis differre videtur. An. Univ. Chil. 1862. 2. p. 397.

Chiliophyllum densifolium Ph.

In Andibus Mendocinis in transitu Portillo de los Piquenes ab orn. W. Diaz lectum. Frutex humilis? ramosissimus, glutinosus, glaberrimus; rami 4—5-pollicares, fere 2 lin. crassi, ramuli 1—1½ lin. longi. Folia vix 2 lin. longa, 1 liu. lata, obovata, integerrima, sessilia, confertissima, coriacea, persistentia, praeter nervum medianum subtus prominentem enervia. Pedunculus ad summum 1 lin. longus. Involucrum 4 lin., totum capitulum 6 lin. longum.

830. **Erigeron Landbecki** Ph. E. herbaceum, pilis brevibus hirtellum; caule erecto, polyphyllo, apice paniculatim ramoso; *foliis* inferioribus oblongo-linearibus, obtusis, in petiolum attenuatis, grosse et distanter serratis, *internodio brevioribus*, e quavis axilla ramulum emittentibus, superioribus integerrimis; ramis corymbosis 5—7-floris; pedunculis brevibus, capitulum vix aequantibus; capitulis diam. 5 lin.; squamis involucri linearibus, exterioribus *obtusis*, apice purpureis.

Prope Llico in parte litorali prov. Colchaguae invenit orn. Landbeck. — Specimen quod suppetit pedale. Radix .... Caulis basi 2¼ lin. crassus, lineis prominentibus, purpureis striatus. Folia inferiora fere 2 poll. longa, 4 lin. lata; dentes appressi utrinque 2—4. Ligulae albae, demum purpurascentes. Achaenia bicostata, costis purpureis, pilis appressis scabra. — E descriptione *E. Berterianum* DC. foliis

distantibus, ramis modo 1 — 3-cephalis, squamis involucri acutis, *E. Poeppigii* DC. foliis acutis, ramis paucifoliis, monocephalis, achaeniis glaberrimis abunde differunt.

831. Erigeron Coxi Ph. E. herbaceum; caule simplicissimo, monocephalo; foliis radicalibus glaberrimis, spathulato-linearibus, confertissimis, caespitosis; caulinis paucis, lanceolatis, basi attenuatis, hispidis; squamis involucri linearibus, nigricantibus, dorso parce albo-hispidis.

Ex itinere patagonico attulit orn. Cox, in transitu Andium? lectum. — Rhizoma stoloniferum, repens, nigrum, crass. 1 lin., apice caespitem foliorum numerosissimorum format. Folia majora 20 lin. longa, $1^1/_3$ lin. lata, breviora 10 lin. longa, $1^1/_2$ lin. lata. Caulis $3^1/_2$ poll. altus, striatus, basi glaber, superius vero hispidus, c. 7-phyllus; folia caulina omnia hispida et praesertim ciliata, medio latiora, utrinque fere aequaliter attenuata, suprema bracteaeformia. Squamae involucri vix imbricatae, subaequales, lineares, utrinque angustatae, acutae, purpurascentes, margine angusto scariosae, albidae, dorso serie duplici pilorum alborum hirsutae. Ligulae numerosae, biseriales, squamas involucri dimidio superantes, angustae. . Ovaria hispido-sericea; pappus eorum corollas tubulosas et squamas involucri aequans.

832. Erigeron frutescens Ph. E. fruticosum, depressime foliosum, strigosum; foliis oblongo-spathulatis, integerrimis; ramis 3—6-cephalis, pedunculis brevibus, diametrum capituli sui subaequantibus; squamis involucri linearibus, acutis, margine scariosis, dorso strigosis; ligulis involucro parum longioribus; achaeniis compressis pilosis.

In maritimis prov. Colchaguae detexit orn. Volckmann. — Ramus qui suppetit vix 5-pollicaris, $1^1/_2$ lin. crassus, valde lignosus, foliis, ramulis novellis, ramisque dense ob-

situs, et, sicut tota planta, setulis brevibus e basi bulbosa ortis tectus est. Folia in ramo principali confertissima, in secundariis internodium bis aequantia, 11 lin. longa, 3 lin. lata, superiora modo $4^1/_2$ lin. longa, 2 lin. lata. Diameter capitulorum $3^1/_2$ — 4 lin., receptaculi vix $1^1/_3$ lin., longitudo squamarum involucri $2^1/_2$ lin.

833. Erigeron tripolioides Ph. E. perenne, glaberrimum; foliis radicalibus confertis, lineari-lanceolatis, in petiolum attenuatis; caulibus erectis, basi foliatis, foliis linearibus sessilibus vestitis, supra in cymam terminatis; squamis involucri subtriseriatis, glaberrimis, exterioribus oblongo-lanceolatis, margine scariosis, interioribus longioribus, angustioribus, fere omnino scariosis; ligulis angustissimis, rubris.

Prope Corral invenit indefessus ejus regionis scrutator Krause. — Caules pedales; folia radicalia 2 poll. longa, $2^1/_2$ lin. lata; caulina semiamplexicaulia, suprema ovato-lanceolata, sensim in bracteas abeunt. Diameter capitulorum circa $4^1/_2$ lin.; squamae involucri laxae, valde inaequales, haud ita numerosae, interiores $3^1/_2$ lin. longae, diameter receptaculi $1^1/_2$ lin. Achaenia $1^2/_3$ lin. longa, compressa, hispida; pappus pluriserialis, albidus, scaber, fere 3 lin. longus; ligulae vix longiores. — Habitus *Tripolii conspicui.*

834. Erigeron polyphyllum Ph. E. perenne, pilis brevibus albis hispidulum; caule stricto, apice circa 6-floro, usque ad apicem foliato; foliis confertissimis, erectis, elongatis, linearibus, acutis; supremis basi lata semiamplexicaulibus; pediccllis folia floralia subaequantibus; squamis involucri linearibus, acuminatis, discum aequantibus; ligulis parum longioribus.

In uliginosis Andium prope Autuco legit cl. Gay. Herb. chil. no. 754. — Caulis 6—7-pollicaris; folia inferiora tres

poll. longa, modo 1 1/3 lin. lata; floralia 10 — 12 lin. longa, basi 1 1/2 lin. lata; diam. capituli 5 1/2 lin.; squamae interiores involucri fere 4 lin. longae; pappus rufus.

835. Erigeron spinulosum H. et A. var. umbrosa, an spec. nova? — E. caule herbaceo erecto, apice laxe paniculato, hispido, setis *elongatis mollibus*, etiam in pedicellis patentibus vestito; foliis linearibus acutis, inferioribus in petiolum attenuatis, remote serratis, dentibus utrinque circa 5; involucri sqnamis disco paullo minoribus; ligulis minimis discum aeqnantibus.

In umbrosis prov. Valdiviae et Concepcion inveni. — In foliis differentia nulla, nam saepissime etiam folia inferiora *E. spinulosi* serrata sunt, sed pubescentia diversa et capitula majora; in *spinuloso* nempe bilinearia, in nostra 2 1/2 lin. lata; squamae involucri in nostro semper pappo floribusque breviores et saepe apice purpurascentes. Caulis 2 — 2 1/2-pedalis, folia inferiora 2 poll. 3 lin. longa, 3 lin. lata.

836. Erigeron leptopetalum Ph. E. caespitosum, caulibus plurimis, hispidis, monocephalis, saepe folia radicalia vix aequantibus, foliatis; foliis spathulato-linearibus, *obtusis*, integerrimis, hispidis, inferioribus in petiolum longum attenuatis, involucri squamis lanceolato-linearibus, acuminatis, hispidis, disco aequalibus; ligulis *perangustis*, discum vix *tertia parte* superantibus.

In Andibus prov. Coquimbo, Santiago, Concepcion ad limites nivis perpetuae invenitur. — Primum pro varietate humili *E. andicolae* DC. habui, sed jam folia semper obtusa, in petiolum longum, angustum terminata, ligulae duplo angustiores et multo breviores differentiae sufficientes mihi videntur ad speciem propriam constituendam. — Folia radicalia usque ad 15 lin. longa, petiolo nempe 10 — 11 lin. occupante

et in laminam $1^1/_3$ lin. latam expanso; folia caulina 7 lin. longa, 1 lin. lata; diam. capitulorum fere 4 lin., longitudo squamarum involucri $2^2/_3$ lin.

837. **Brachyris floribunda** Ph. Br. suffruticosa, erecta, ramosissima, corymbosa; foliis coriaceis, linearibus, cauleque muriculatis; ligulis c. 8—10; flosculis disci 12—15; paleis achaeniorum biseriatis, exterioribus lanceolatis, interioribus lineari-setaceis, brevioribus, c. 20.

Prope S. Felipe de Aconcagua Martio 1863 legi. — Fruticulus $1^1/_2$—2-pedalis, ramosissimus, parum glutinosus, graveolens, apicem versus paniculatim corymbosus, multiflorus. Ramuli tenues, c. $^3/_4$ lin. crassi, striati. Folia majora 9—10 lin. longa, $^1/_2$ lin. lata, obtusiuscula, basi parum attenuata. Involucra vix 4 lin. longa. Flores pallide flavi, ligulae plerumque revolutae, sedulo quaerendae. Paleae achaenium $1^2/_3$ lin. longum subaequant, flosculi disci eo paullo longiores sunt. — Convenit cum *Br. paniculata* DC. inflorescentia, differt numero multo majore flosculorum, paleisque biseriatis, inaequalibus, longe pluribus, nec non — si *Br. paniculatum* bene novi — capitulis majoribus; in specim. hujus prope Choapa lectis capitula modo $2^1/_2$ lin. longa.

838. **Grindelia pulchella** Dun. mendocina, non chilensis est, teste W. Diaz.

839. **Grindelia andina.** *Chrysophthalmum andinum* mihi Centur. no. 307 ad Grindeliam referendum videtur; paleae angustiores fere unicam differentiam genericam sistunt.

840. **Grindeliae** tertiam speciem e Patagonia attulit orn. Cox, sed summitatem modo decerpsit.

841. **Solidago patagonica** Ph. S. glabra, foliis linearibus, sessilibus, integerrimis, margine ciliolato-serrulatis; racemis brevibus, recurvis, in paniculam confertis; involucri

squamibus linearibus, glabris, *herbaceis*; flosculis 20 — 24, ligulis 7 — 8, *disco longioribus*.

E Patagoniae planitie ad radicem Andium Valdivianarum attulit orn. Cox summitatem. Folia superiora ramos inferiores paniculae aequantia, 2 poll. longa, 3 lin. lata, basi trinervia; pedicelli 4 lin. longi, bracteis linearibus onusti. Capitula fere duplo majora quam in *S. linearifolia* DC., longitudo involucri 2 lin.

842. **Solidago coquimbana** Ph. S. glabra, foliis linearibus, acutis, integerrimis, sessilibus; paniculae coarctatae ramis erectis pauciflоris; squamis involucri laete viridibus.

In Andibus Illapelinis loco dicto „la Cortadera“ legit orn. Volckmann. — Primo adspectu glaberrima apparet, cum lente visa pilos breves raros hinc inde in caule, nervo mediano foliorum, frequentiores in margine foliorum et in paniculа ostendit. Folia inferiora 26 lin. longa, $2^1/_3$ lin. lata, minora quam in *S. linearifolia*. Differentia essentialis in inflorescentia quaerenda; in *S. linearifolia* rami paniculae bipollicares, recurvi, flores secundos 10—20 ferunt, in *S. coquimbana* vero rami erecti sunt et modo flores sparsos 4—7 ferunt. Capitula *S. coquimbanae* paullo majora, pedicelli longiores, plerumque capitulum superantes, filiformes; squamae involucri angustiores, sensim acuminatae, neque obtusiusculae et repente acuminatae.

Observ. Sub nomine *S. chilensis* Meyen et Remy aliam speciem descripsisse videntur. Speciei Meyenianae folia „integerrima“, Remyanae „infima subserrata, semiamplexicaulia“, priori „racemi umbellato-corymbosi“, huic „racemus terminalis (num Solidagines racemo laterali innotuerunt?) subpyramidatus“, Meyenianae „involucri squamae discum fere superantes“, Remyanae flosculos disci fere aequantes sunt.

843. **Haplopappus polyphyllus** Ph. H. fruticosus glaber; ramis abbreviatis, densissime foliosis, monocephalis; foliis sessilibus, reflexis, obovato-cuneatis, obtusis, profunde serrato-dentatis; dentibus utrinque circa 10, peracutis, sed haud mucronatis; capitulis subsessilibus; squamis involucri linearibus, obtusiusculis, medio viridibus, lateribus lutescentibus; achaeniis sericeis, pappo fulvo.

In rupibus maritimis prov. Colchagua prope Llico invenitur. — Rami modo 4-pollicares. Folia 11 lin. longa, 5 lin. lata, valde coriacea, bullato-punctata, sub lente in margine hirtello-ciliolata; opaca, juniora glutinosa. Squamae involucri 6 lin. longae.

844. **Haplopappus marginalis** Ph. H. ramis apicem versus hirsutis, monocephalis, omnino foliatis; foliis obovato-oblongis, inferioribus in petioli speciem longe attenuatis, superioribus sessilibus, subdecurrentibus, omnibus valde reticulatis, dentato-serratis, basin versus integerrimis, glaberrimis, sed in margine cartilagineo spinuloso-ciliatis; dentibus spinosis; involucri squamis fere foliaceis, exterioribus spinosis, lanceolatis, omnino pilis brevibus scaberrimis, mediis apice modo scabris. Ann. Univ. Chil. 1861. 1. p. 63. 64.

In prov. Ñuble legit orn. Pearce. — Rami 9-pollicares. Folia internodium suum bis aequantia, inferiora 2—2 1/3 poll. longa, 9 lin. lata; dentes utrinque 10 - 15, spina terminati; folium supremum 6 lin. a capitulo distat. Diamet. capituli 12 lin.; ligulae 20; achaenia dense sericeo-hirsuta pappus flavus. — An *H. decurrens* Remy var.? foliorum forma, et insertio semidecurrens non abhorret, sed folia „utrinque hispida“ non sunt, majora apparent, neque in descriptione a Remyo data spinarum dentes terminantium mentio; capitulum multo majus (in *H. decurrente* modo 6 — 8 lin.), pappus flavus nec rubens.

845. **Haplopappus coronopifolius** DC. var. *laxus*. — H. fruticosus, glaberrimus, ramis virgatis, in pedunculum elongatum, nudum, monocephalum terminatis; foliis glaucis, distantibus, lineari-spathulatis, in pedunculum longum sensim attenuatis, pinnatifido-dentatis, siccis egregie reticulatis; squamis involucri anguste linearibus, acutis; achaeniis dense sericeis.

In praedio Arquilue ad radicem Andium „de Ranco“ dictarum in prov. Valdivia invenit orn. Pearce. — Specimen quod suppetit vix pedale, per totam longitudinem foliis aeque distantibus onustum. Folia usque ad 18 lin. longa, cum dentibus 4 lin. lata, dentes utrinque 3—4, usque ad 2 lin. longi, angusti, setula terminati. Pedunculus quadripollicaris, nudus, bractea subulata in medio, aliaque sub capitulo onustus. Squamae involucri 5 lin. longae. — Ramis elongatis, foliis distantibus, longioribus, glaucis, exquisite nervosis ab *H. coronopifolio* typico differt.

846. **Haplopappus pectinatus** Ph. Ann. Univ. Chil. 1862. 2. p. 381. — H. fruticosus, ramosus, glaber, glaucescens; ramis elongatis, monocephalis, parce foliatis, apice subnudis; foliis pectinato-pinnatifidis; lobulis acuminatis rhachique linearibus; squamis involucri lanceolatis, breviter acuminatis.

Prope Chonchoral inter Tomé et Chillan fruticem elegantem inveni. — Caulis $1\,^1/_2$—2-pedalis; rami tenues, pallide cervini, floriferi 9-pollicares, foliis 8—12 onusti, sensim *minoribus* et magis distantibus, supremis integerrimis, bracteaeformibus. Folia caulina et ramea inferiora 20 lin. longa, 8 lin. lata, lobulis utrinque 3—4, et rhachi modo $^1/_2$ lin. latis. Diamet. involucri fere 6 lin.; longit. squamarum appressarum $3\,^1/_2$—4. Ligulae c. 16. Achaenia glabra, aucipita; pappus albidus.

847. **Steriphe** Ph.*) novum genus *Astereārum.*

Capitulum multiflorum, heterogamum, subradiatum. Involucrum turbinatum, pluriseriatum, squamis laxis subimbricatum. Receptaculum alveolato-fibrillosum. *Corollae radii* uniseriatae, involucrum vix superantes, facile praetervidendae, semiinvolutae, apice integerrimae, *absque staminum stylive rudimentis;* disci tubulosae, hermaphroditae, basi sensim angustatae, dentibus 5, erectis. Antherae ala caudisque destitutae. Stigmata satis longa, erecta, a medio inde pubescentia, acuta. Achaenia teretiuscula, sericeo-hirsuta; pappus uniserialis, pilosus, scabridus.

St. corymbosa Ph.

In glareosis fluminis Tinguiguirica prope S. Fernando inveni, forte ex Andibus advectam. Suffrutex glaber, 1—1 $^1/_2$-pedalis, erectus, parum striatus, corymbose ramosus. Folia internodia bis vel ter aequantia, 32 lin. longa, modo 1 $^1/_2$ lin. lata, linearia, basi sensim attenuata sessilia, remote serrato-dentata, dentibus utrinque c. 8 patentibus, uninervia, exquisite reticulata, apice valde acuminata, fere pungentia; superiora minora integerrima. Pedunculi elongati, valde graciles 3—3 $^1/_2$-pollicares, monocephali, nudi, una alterave bractea tantum onusti. Involucrum 4 lin. longum. Flosculi lutei. Ligulae modo 4 lin. longae; flosculi disci 3 $^1/_4$ lin.; achaenia 2 lin, pappus 2 $^1/_2$—3 lin., setis c. 40 constans.

848. **Conyza thermarum** Ph. C. suffruticosa; ramis angulatis hirtis; pilis brevibus, albis, patentibus; foliis confertis, linearibus, pube brevissima hirtellis, inferioribus in petiolum attenuatis, distanter serratis, superioribus basi lata sessilibus, integerrimis; inflorescentia elongata, subracemosa; pedicellis superioribus longioribus; squamis involucri maxima

*) *στέρφη* mulier sterilis.

ex parte purpureis, margine scariosis, dorso albo-pilosis. An. Univ. Chil. 1862. 2. p. 381.

Ad scaturigines thermarum „de Chillan“ dictarum inveni. — Rami $1^1/_2$-pedales, basi $1^1/_2$ lin. crassi, simplices. Folia inferiora 27 lin. longa, $2^1/_2$ lin. lata, dentibus utrinque 3—4; superiora pollicaria, vix 1 lin. longa, suprema sensim bracteaeformia. Inflorescentia elongata; jam in axillis foliorum superiorum pedunculi breves, 1—2-flori; etiam reliqui plerique modo 1—2-flori sed ultimi elongati, usque ad 9 lin. longi; omnes bractea una alterave onusti sunt. Diameter capitulorum 4 lin.; longitudo squamarum involucri $2^1/_2$ lin. Flosculi apice purpurei. Achaenia albo-hispida; pappus albidus.

849. **Conyza modesta** Ph. C. suffruticosa, erecta; ramis simplicibus, angulatis, hispidis; foliis linearibus, plerumque integerrimis, laete viridibus, hispidis; corymbo 7—10-floro; capitulis diametri 3—4 lin.; squamis involucri triserialibus, linearibus, valde acuminatis, vix margine hispidulis, viridibus, apice purpureis.

E prov. Aconcagua attulit orn. Landbeck. — Rami pollicares, basi $1^1/_2$ lin. crassi et purpurei, per totam longitudinem pilis albis patentibus, vix lineam longis, satis patentibus hispiduli. Folia conferta, erecta, linearia, basi haud attenuata, sessilia, plerumque integerrima, rarius uno alterove dente utrinque munita, setulis appressis hispidula et praesertim appresse ciliata; inferiora 12—14 lin. longa, vix 1 lin. lata. Pedunculi 14 lin. longi, foliis vel si mavis bracteis setaceis onusti. Flosculi feminei triseriati, brevissime ligulati, helvoli. Achaenia sericea; pappus e flavescente albus. — Differt a *C. Larrainiana* involucri squamis peracutis etc.

850. **Conyza consanguinea** Ph. C. perennis, herbacea, multiceps; caulibus erectis, simplicibus, striatis, foliisque

appresse setulosis sed parum incanis; foliis linearibus, integerrimis, inferioribus valde confertis, basi valde attenuatis, superioribus basi aequilata sessilibus; corymbo circa 10-cephalo; pedunculis capitula 3 lin. longa ter aequantibus; squamis involucri linearibus, interioribus peracutis, omnibus laete viridibus, margine flavescentibus, apice tantum purpureis.

Prope Choapa a Landbeckio lecta est. — Radix pallide fusca, 3 lin. crassa, caules plures, 12 — 15 poll. altos, basi 1 lin. crassos emittit. Tota planta viridis, etsi setulis albis, appressis sat dense vestita. Folia radicalia valde conferta, florendi tempore emarcida; caulina inferiora 20 lin. longa, vix 1 lin. lata, deinde folia sensim breviora, magis sessilia, et paullo angustiora fiunt, sed usque ad inflorescentiam continuantur. Pedunculi vix 1 — 3 bracteis onusti. Flores feminei triseriati, vix ligulati, straminei. Achaenia sericea, pappus albidus. — *C. vulgari* mihi no. 266 simillima, sed pubescentia valde diversa, inflorescentia laxa, pedunculis elongatis facile distinguenda.

851. **Conyza arvensis** Ph. C. suffruticosa, setulis brevissimis appressis obtecta, viridis, basi valde ramosa; foliis integerrimis, inferioribus lineari-oblongis, in petiolum longum attenuatis, superioribus exacte linearibus, sessilibus; floribus laxe corymbosis; pedunculis foliolatis, involucrum 3 lin. longum ter vel quater aequantibus; squamis involucri omnibus peracutis, viridibus, margine lutescentibus, dorso setulosis, apice vix purpurascentibus.

In prov. Aconcagua ab ornat. Landbeck lecta est. — Radix crassa, valde lignosa, fusca. Caules erecti, $^3/_4$ lin. crassi, vix 12 poll. alti; folia caulina inferiora 18 lin. longa, 2 — $2^1/_2$ lin. lata, integerrima, uninervia; pars petiolaris tertium fere hujus longitudinis occupat; caulina superiora in lon-

gitudine 10 lin., 1 1/2 lin. lata. Ligulae solitae, achaenia sericea etc. — Primo adspectu cum *C. pratensi* mihi no. 267 confundi potest, sed squamis involucri peracutis statim dignoscitur.

852. **Conyza dunetorum** Ph. C. caule erecto, tripedali, ramosissimo; foliis basi lata sessilibus, linearibus, integerrimis, setoso-hispidis, fere omnibus fasciculum foliorum in axilla foventibus; floribus corymboso-fastigiatis; capitulis diametri 4 — 5 linearum; squamis involucri glabris, linearisubulatis.

In collibus prope Santiago crescit. — Caulis teres, striatus, pilis patentibus magis minusve hispidus. Folia caulina majora fere 2 poll. longa, 2 1/2 lin. lata, plerumque minora. Pedicelli bracteati. Squamae involucri plerumque purpureae. Receptaculum 1 1/2 lin., convexum, fimbrilliferum, fimbrillis in centro longioribus setaeformibus. Floseuli radii ♀ bi- vel triseriati, albi, disci ☿ flavi. Achaenia compressa, pilis albis appressis vestita; pappus achaeniis duplo longior, albus, hispidus.

853. **Conyza collina** Ph. C. caule erecto, bipedali, ramosissimo, angulato, hispido; foliis hirtellis, omnibus in petiolum attenuatis, inferioribus spathuláto-oblongis, versus apicem grosse et remote serrato-dentatis, caulinis rameisque integerrimis; panicula multiflora, fastigiata, foliosa; capitulis diametri 3 1/2 lin.; squamis involucri e basi lata sensim attenuatis, glabris.

Pariter in collibus prope Santiago occurrit. — Folia infima quae adsunt 18 lin. longa, 4 1/2 lin. lata, obtusiuscula; dentes in parte superiore utrinque circa 3, mucronati, deinde folium a medio usque ad basin attenuatum integerrimum. Caulis praesertim in angulis et folia pilis patentibus albis hispida. Diameter receptaculi vix 3/4 lin.; achaenia com-

pressa albo-sericea, pappus albus achaenia bis aequans, hispidus etc. — Foliis basi valde attenuatis ab omnibus affinibus differt et cum *C. bilbuona* Remy convenit, cui tamen flores in racemum elongatum dispositi sunt.

854. **Baccharis linifolia** Ph.*). — B. fruticosa, glabra, viscosa, dense foliosa; foliis linearibus, *acutis*, uninerviis, crassis, coriaceis, integerrimis, ramulisque resinoso-glandulosis; corymbis *terminalibus polycephalis*; capitulis minutis.

Prope Illapel reperit ornat. Landbeck. — Rami 1 1/2 lin. crassi, striati, fusco-cinerei, novelli punctis glandulisve resinosis dense obtecti, asperuli, inferius cicatricibus foliorum dense tuberculati. Folia confertissima, 20 lin. longa, vix 1 1/4 lin. lata, rarissime uno alterove dente munita. Corymbus diametri 18 lin., circa 60—80 capitulis constans, quae pedicellis 2 lin. longis geruntur. Sunt 1 1/2 lin. longa, squamaeque ♀ stramineae, medio rufae, acutae, apice ciliato-fimbriatae. Achaenia glabra; pappi pilei apice haud incrassati. — Cum *B. rosmarinifolia* Hook. et Arn. et *B. genistaefolia* DC. tomento pulverulento-resinoso convenit, sed facillime a priore foliis multo longioribus, acutis, a *genistaefolia* foliis confertis, distincte uninerviis distinguitur, ab utraque praeterea inflorescentia valde differt.

855. **Baccharis floribunda** Ph. B. fruticosa, ramosissima, glaberrima; ramis valde sulcatis, asperulis; foliis linearibus, integerrimis, utrinque acuminatis, uninerviis, crassis, coriaceis; floribus numerosissimis, etsi modo 6—10 in quovis ramulo, axillaribus; pedunculis folia superantibus, unifloris,

---

*) *B. linifolia* Meyen est *B. rosmarinifolia* H. et A. cfr. Walpers plantae Meyenianae p. 295.

foliatis; squamis involucri granulato-asperis, primum medio viridibus, inferioribus ovatis.

In regione litorali prov. Santiago crescit. — Rami pedales, $1^1/_2$ lin. crassi, a medio inde ramulis 3 poll. longis densissime onusti. Folia pleraque ramulorum modo 8—9 lin. longa, $^3/_4$ lin. lata, sed majora ramorum principalium interdum 20 lin. longa, medio $1^1/_2$ lin. lata, valde acuminata, modo uninervia. Pedunculi 3—4 lin. longi, foliolis subtribus, 2—3 lin. longis onusti. Involucrum $1^1/_2$ — $1^2/_3$ lin. longum; squamae albidae, ante apicem medio virides, interiores lutescentes, oblongo-lineares, apice rotundatae; demum omnes e fusco-lutescentes. Semina costata, atra, laevia; pappus $1^2/_3$ lin. longus, pilis apice haud incrassatis. — Differt a *B. paniculata* DC., cui folia similia, inflorescentia paniculam densam, 4—5 poll. longam, 2—$2^1/_2$ poll. crassam exhibente; foliis uninerviis, haud punctatis etc.

856. **Baccharis Radin** Ph. B. fruticosa, glabra; foliis ovali-oblongis acutis, in petiolum attenuatis, remote dentatis, trinerviis; floribus terminalibus in cymam compactam dispositis.

Frequens in nemoribus Valdiviae praesertim ustis, incolis „Radin.“ — Frutex orgyalis; rami teretes, sulcati, virgati. Folia conferta, majora plerumque 28 lin. longa, 8 lin. lata, dentibus circa 6 utrinque, sed in varietate latiora et dentibus c. 18 utrinque munita, trinervia, nervis praeterea aliquot superius e mediano proficiscentibus, in varietate latifolia magis reticulata. Flores 20—30 in cymis; rami 3—4-cephali; pedicelli capitula subaequantes, basi bracteolati. Squamae calycinae in flore ♂ exteriores ovatae, interiores lineares, obtusae, omnes margine lacero-fimbriatae; in flore ♀ longe angustiores a basi inde acuminatae. Pappi setae in fl. ♂

apice non dilatatae, scabrae, in ♀ tenuiores, vix scabrae. — An *Molina racemosa* R. et P.?, an *Baccharis racemosa* Remy apud Gay IV. p. 79? sed flores nullo modo *racemosi*.

857. **Baccharis sarophora** Ph. B. fruticosa, ramosissima, glaberrima; ramis virgatis, fastigiatis, striatis; foliis paucissimis, minimis, setaceis; capitulis paucis, terminalibus; pedunculis bracteolatis, squamis involucri lutescentibus, glutinosis; flosculis femineis unilabiatis. V. Ann. de la Univ. Chil. 1861. 1. p. 52.

Ad portum Huasco invenit orn. Volckmann. — Rami secundarii vix $^1/_2$ lineam crassitie superant, fastigiati. Folia circa pollicem inter se distantia, plerumque 2 lin. longa, lineari-setacea, obtusa, recurva; superiora minora, in ramulis florigeris approximata, bracteaeformia. Capitula incluso pappo 3 lin. longa. — Differt a *B. spartioide*, quam cl. Gay prope Arqueros, ipse prope Puquios invenimus, ramis longe tenuioribus, longe pluribus, pedunculis elongatis fastigiatis, capitulis minoribus etc., ab *B. aphylla* inflorescentia haud spicata etc.

858. **Baccharis Volckmanni** Ph. B. fruticosa, ramosissima, glaberrima, glutinosa, velut vernice illinita; foliis sessilibus, cuneatis, acutis, serrato-dentatis, uninerviis, punctatis; capitulis terminalibus, umbellatis.

In Andibus prov. Coquimbo: Cordillera de Doña Rosa, Rio Rapel etc. Volckmann. — Ramuli 3—5-pollicares, teretes praeter lineas elevatas decurrentes a foliis descendentibus. Folia usque ad 7 lin. longa, $2^1/_3$ lin. lata, dentibus utrinque c. tribus, sicut apex acutis, mucronulatis. Pedicelli 7—12 circa 4 lin. longi, nudi; squamae capitulorum obtusiusculae; longit. capitulorum fere 3 lin. — A reliquis speciebus, quibus inflorescentia umbelliformis v. gr. *B. Soleiri*,

B. Poeppigiana, *B. umbelliformi* foliis acutis, serrato-dentatis facili negotio distinguitur.

859. **Baccharis truncata** Ph. B. fruticosa, ramosissima; ramis angulatis, dense pubescenti-tomentosis; foliis sessilibus, obovato-cuneatis, *truncatis*, coriaceis, uninerviis, quinquedentatis, junioribus glutinosis; capitulis solitariis, ramulos terminantibus, breviter pedicellatis; squamis involucri linearibus, apice lacero-ciliatis.

In Andibus prov. Colchagnae legit orn. Landbeck. Decembri jam defloruerat. Folia plerumque quinquangularia, rarius septangularia, omnia utrinque tridentata, apice truncata, valde peculiaria, brevissime pubescentia, glutinosa, aeque lata ac longa, majora 6 lin. longa. Ramuli novelli exquisite angulati. Diameter capitulorum 5—6 lin.

860. **Senecio leucomallus** Ph. S. discoideus, suffruticosus, tomento albo vestitus; ramis monocephalis, apice nudis; foliis oblongis, basi in petiolum brevem angustatis, subspathulatis, ante apicem obtuse 1—3-dentatis, supra virescentibus, subtus albis; bracteis in pedunculo paucis, subulatis, mucronatis; involucro basi bracteato, sub-13-phyllo, squamis apice haud sphacelatis; floseulis involucrum parum superantibus, circa 15, omnibus tubulosis; achaeniis albo-sericeis.

Loco „Meneses“ dicto in Andibus prov. Talca in elevat. 2200 metr. s. m. legit orn. Volckmann. — Rami hornotini 5-pollicares. Folia internodia bis aequantia, majora 8 lin. longa, $2^1/_2$ lin. lata; dentes breves, obtusi, parum conspicui. Pedunculus circa 21 lin. longus, bracteis 1—2, integerrimis, subulatis, supremis 2 lin. longis onustus; bracteae involucrantes duae vel tres, similes. Squamae involucri subcylindrici $4^1/_2$ lin. longae; corollae $3^2/_3$. — *S. dealbato* mihi Cent. no. 290 similis, qui tamen radiatus est, folia integer-

rima, squamas involucri breviores habet; etiam folia ei magis rosulata.

861. Senecio Jungei Ph. S. discoideus, suffruticosus, albo-tomentosus; ramis teretibus; foliis linearibus, obtusis, integerrimis; margine revolutis; ramis apice 1—3-cephalis; involucro calyculato, 20-phyllo; flosculis ultra 40, tubulosis; achaeniis albo-sericeis.

Prope Illapel legit orn. Landbeck. — Rami pedales, basi lineam crassi, tomento niveo, inferius densissimo obtecti, superius magis virescentes. Folia conferta, erecta, sat rigida, 13 lin. longa, 1 lin. lata. Squamae involucri $4^1/_2$ lin. longae, flosculis breviores. — An *S. Haenkei* DC. varietas? sed differt foliis rigidioribus, brevioribus; capitulis longe majoribus, paucioribus, multifloris. Dix in honorem orn. Doctoris Henrici Junge, quondam Illapelinorum medico.

862. Senecio breviculus Ph. S. discoideus, herbaceus, humilis, glaberrimus; caule cicatricoso; ramis brevissimis, monocephalis, basi densissime foliatis, apice nudis, sub capitulo valde incrassatis; foliis oblongo-linearibus, subspathulatis, subpinnatifidis; lobis brevissimis, integris, vel unidentatis imbricatis, mucronatis; involucri purpurei, basi bracteati squamis latis, linearibus, dein acuminatis, apice penicillatis c. 17; flosculis c. 50; achaeniis glaberrimis. Ann. Univ. Chil. 1861. 2. p. 398.

In latere mendocino Andium in transitu „Portillo de los Piuquenes“ dicto invenit orn. W. Diaz. — Rami flore incluso modo $2^1/_2$ — 3-pollicares; folia carnosa, 11—12 lin. longa, petiolo fere ad medium nudo, basi dilatato; lobuli utrinque circiter 5, $1^1/_2$ lin. longi, 1 lin. lati. Pedunculus 12—13 lin. longus, ita dilatatus ut sensim in capitulum abeat, nudus, aut 1—2 bracteis onustus. Bracteae quinque aut plures

appressae in basi capituli. Capitulum diam. 10 lin.; squamae ejus 6 lin. longae, usque ad $1^1/_2$ lin. latae. Flosculi $4^1/_2$ lin. longi, ovario $1^1/_2$ lin. longo insidentes. — Species, cui proxime accedit, est *S. caespitosus* Ph., a Fonckio in Andibus Valdivianis repertus, cui tamen pedunculi elongati, dense bracteati, sub capitulo neutiquam incrassati, et squamae involucri duplo angustiores. *S. purpuratus* Ph. Cent. no. 278 ramulis elongatis, foliis minus confertis, majoribus, pedunculis elongatis pariter sub capitulo vix inflatis differt.

863. Senecio Diazi Ph. S. discoideus, herbaceus, humilis, glaberrimus; ramis basi dense foliatis, brevibus; monocephalis, apice nudis; foliis erectis, confertis, lineari-spathulatis, lobulis utrinque 2 — 3, rotundatis; pedunculorum bracteis linearibus acutis; squamis involucri ad basin bracteati purpureis, circa 20, linearibus, apice vix penicillatis; floscu-lis 30 — 45; achaeniis glaberrimis. An. Univ. Chil. 1862. 2. p. 399.

Una cum priore invenit orn. W. Diaz. — Caulis subterraneus multiceps; rami sub terra cicatricosi, ubi ex terra emergunt per longitudinem pollicis dense foliati. Folia erecta, carnosa, $8^1/_2$ lin. longa, 2 lin. lata. Pars superior nuda ramorum 1 — $1^1/_4$-pollicaris, purpurea, foliis 2 — 3, linearibus, integerrimis, acutis onusta, summis in bracteas abeuntibus, quarum nonnullae appressae ad basin capitulorum. Diam. horum 6 lin.; squamae involucri 5 lin. longae, ad summum 1 lin. latae, purpureae, margine angusto viridi, subscarioso.

863 b. Senecio vulgaris L.

Jam in hortis Santiaginis tam vulgaris factus est, ut inter plantas chilenses recipi debeat.

864. Senecio Coxi Ph. S. discoideus, glaberrimus; caule erecto, valde folioso, foliis lineari-filiformibus (subteretibus?),

acutiusculis; floribus paniculato-corymbosis; pedicellis bracteolatis; involucri circa 10-phylli squamis acutissimis, margine scariosis; flosculis circa 24, parum longioribus; ovario glaberrimo.

In Patagonia ad radicem Andium Valdivianarum invenit orn. G. Cox. — Rami 7-pollicares suppetunt, 1 lin. crassi. Folia confertissima, erecta, usque ad 18 lin. longa, vix $^3/_4$ lin. lata, ut videntur carnosa, subteretia, fere omnia in axilla fasciculum foliorum foventia, superiora magis remota, breviora. Longit. involucri 3 lin.; ad basin ejus bracteolae et pili arachnoidei. — Ab omnibus speciebus chilensibus affinibus foliis angustis integerrimis facile distinguitur.

865. **Senecio Pissisi Ph.** S. discoideus, suffruticosus, humilis, totus albo-arachnoideus; ramis monocephalis, apicem versus nudiusculis; foliis basi confertis, parvis, spathulatis, integerrimis aut apice inciso-crenatis, superioribus integerrimis, sensim in bracteas abeuntibus; involucri 15-phylli, subcalyculati squamis apice penicillatis, haud sphacelatis, margine glabro, lutescente; flosculis circa 40, omnibus tubulosis, involucrum superantibus; achaeniis costatis, albo-sericeis.

In Andibus prope Illapel invenit orn. Volckmann. — Rami modo $1^1/_2$-pollicares; folia inferiora 5 lin. longa, $1^1/_2$ lin. lata, superius minus dense lanata, virescentia, nonnulla integerrima, pleraque dente uno alterove rotundato utrinque munita, superiora semper integerrima, puncto calloso terminata, suprema acuta in bracteas subulatas sensim mutata. Antherae apice purpureae.

Obs. In uno specimine folia nonnulla inter reliqua albo-lanata sparsa omnino glaberrima!

866. **Senecio Landbeckii Ph.** S. discoideus, ima basi suffruticosus, totus albo-tomentosus; foliis oblongis, integerrimis, supremis puncto calloso nigro terminatis; ramis apice

elongatis nudis aut bracteatis, monocephalis; involucri subcalyculati, sub-20-phylli squamis apice peracuto sphacelatis et penicillatis; floseulis 30—40, omnibus tubulosis.

In prov. Colchaguae Andibus ad c. 7000 ped. elevationem legit orn. Landbeck; Decembri flores nondum perfecte explicati erant. — Caulis basi lignosus, $1^1/_4$ lin. crassus, cortice nigricante vestitus; rami circa 4-pollicares. Folia basi valde conferta, $5^1/_2$ lin. longa, $1^2/_3$ lin. lata, basi attenuata, tomento denso, flavescente tecta. Pars nuda pedunculi 1—$1^1/_2$ poll. longa, saepe bracteis subulatis spinula longa terminatis 2 vel 3 onusta. Squamae bracteis similes 2 lin. longae, nonnullae basi capituli valde appressae inveniuntur. Capitulum cylindricum $4^1/_2$ lin. longum; squamae intus fuscae, canaliculatae. — A *S. micropifolio*, cui folia simillima, pedunculis elongatis, aphyllis primo adspectu dignoscitur.

867. **Senecio Volckmanni** Ph. S. discoideus, ima basi suffruticosus, totus albo-tomentosus; ramis monocephalis, abbreviatis; foliis confertissimis, oblongo-linearibus, obtusis, margine revolutis, summis linearibus, bracteaeformibus, nonnullis involucrantibus; involucri 20-phylli squamis minus tomentosis, virentibus, apice herbaceis; floseulis circa 20, omnibus tubulosis, involucrum superantibus; achaeniis sericeis.

In Andibus prov. Coquimbo ad balneas „del Toro" dictas invenit orn. Volckmann. — Specimen unicum quod suppetit $3^1/_2$ poll. longum. Folia usque ad 10 lin. longa, $1^1/_2$ lin. lata, superiora puncto calloso nigro terminata. Pedunculus foliis fere aequalis (8 lin. longus), folium 5 lin. longum et bracteam 3 lin. longam gerens. Capitulum fere 6 lin. longum. — Ab antecedente non solum foliis longioribus, angustioribus, margine revolutis, sed etiam squamis involucri planis, omnino herbaceis etc. discrepat; a *S. micropifolio* vero:

pedunculis apice nudis, squamis involucri haud sphacelatis, achaeniis sericeo-hirsutis.

868. **Senecio thermarum** Ph. S. discoideus, suffruticosus, glaberrimus; ramis indivisis, foliis erectis, inferioribus confertis, late *linearibus*, basi sensim attenuatis, integerrimis, coriaceis, uninerviis; superioribus distantibus, basi dilatata semiamplexicaulibus; floribus corymbosis circa 5—9; bracteis brevibus, late ovatis, acutis ad originem corymbi; pedicellis capitula discoidea subaequantibus; bracteolis pedicellos et praesertim basin capitulorum ornantibus; involucri squamis circa 12, viridibus, apice *adustis* et penicilligeris; floseulis involucrum triente superantibus, circa 24; achaeniis glaberrimis. — *Senecio subumbellatus?* Ann. Univ. Chil. 1861: 1. p. 64. nomen tunc ex unico individuo desumtum erroneum mutandum esse puto.

In Andibus haud procul a balneis „de Chillan" dictis primus invenit orn. Pearce, deinde ipse legi. — Rami fere pedales, vix $1^1/_2$ lin. diametro aequant. Folia inferiora 17 lin. longa, vix $2^1/_2$ lin. lata; pedicelli 4—6 lin. longi, involucrum $3^1/_2$ — 4 lin. longum. — A *S. murorum* Remy, cui pariter capitula pauca subumbellata, involucro calyculato, squamis 12, apice distincte penicillatis etc., a *S. holophyllo* Remy capitulis paucis, involucro calyculato, floseulis breviore etc. differt.

869. **Senecio illapelinus** Ph. S. discoideus, fruticosus, glaberrimus; ramis apice corymbosis, dense foliosis; foliis in petiolum longum attenuatis, ambitu ovatis, laciniato-lobatis, lobis circiter 5, bi- vel tridentatis; petiolo ciliato; floralibus saepe linearibus, integerrimis; capitulis vix calyculatis; squamis involucri circa 12, apice haud sphacelatis; achaeniis glaberrimis.

In Andibus „de Illapel" dictis invenit orn. Volckmann. — Rami qui suppetunt 4 — 6-pollicares corymbo 10 — 15-floro terminantur. Folia inferiora 11 lin. longa, petiolus sc. 6 1/2 lin., lamina 4 1/2 lin. longa, 3 1/2 lin. lata; superiora brevius petiolata, potius pinnatifida quam lobata. Pedunculi pollicares, 1 — 3-cephali, nudi aut bractea una alterave onusti. Squamae involucri 4 lin. longae.

870. **Senecio clarionaefolius** Remy var. foliolis calyculi pinnatifido-dentatis.

In Andibus prov. Coquimbo „de Illapel et Doña Ana" dictis ab eodem Volckmannio lectus est. — Folia basalia longe petiolata, utrinque 3 — 4-lobulata, lobulis integris; ramea mediana sessilia, i. e. fere a basi lobuligera, lobis 3, acutis, subfalcatis, plerumque integerrimis. Folia valde carnosa.

871. **Senecio Montteanus** Remy var.?

Specimina in Andibus prov. Santiago lecta, folia pleraque semiamplexicaulia, usque ad basin pinnatifido-dentata, 11 lin. longa, cum dentibus 3 lin. lata, dentibus utrinque usque ad 10 praedita ostendunt. Corymbi usque ad 20-cephali nec pauciflori; squamae involucri 8 — 10 (numerus earum a Remyo in descriptione omissus) 4 lin. longae.

872. **Senecio hakeaefolius** Bertero. S. discoideus, suffruticosus, humilis, glaberrimus, glaucus, basi ramosissimus; ramis simplicibus, siccis striatis, 5 — 8-cephalis; foliis pinnatifidis, subbijugis, rhachi lobisque integerrimis fere filiformibus; pedunculis bracteolatis; involucro ecalyculato, squamis circa 12, carinatis, apice penicillatis; capitulis discoideis; flosculis circa 30, involucrum aequantibus; achaeniis hispidis.

S. hakeaefolius Bertero fide speciminum — DC. prodr. VI. p. 416 — non *S. hakeaefolius* Remy apud Gay IV. p. 176. *Observ.* Bene DeCandolle l. c. capitula discoidea

vocat, sed cur speciem inter *Radiatos* collocat? Species a Remy descripta, cui ligulas 10—15, flosculos 60, folia 3-, rarius multijuga tribuit longe aliena, et male Remyus De-Candollium vituperat, quod capitula discoidea dixerit; species Remyana est *S. rutaefolius* Ph. — *S. hakeaefolius* verus frequens in prov. Aconcagua, ubi ad Catemu, prope S. Felipe etc. legi; Bertero prope Rancagua, Gay prope Arqueros invenit.

873. Senecio? acaulis Ph. S. discoideus, acaulis, glaberrimus; rhizomatis crassi, perpendicularis fibris crassis, nigris; foliis carnoso-coriaceis, rosulatis, inferioribus in petiolum basi dilatatum attenuatis, ovatis vel oblongis, profunde inciso-serratis, dentibus inferioribus utrinque dente minore acutis; capitulo unico, subsessili, sub-50-floro, discoideo; involucri ecalyculati squamis linearibus 15—20, liberis. Ann. Univ. Chil. 1861. p. 52.

Prope Huanta in prov. Coquimbo invenit orn. Volckmann. — Unicum specimen vidi. Folia inferiora 15 lin. longa, petiolo fere bis quintam partem hujus longitudinis occupante, 7 lin. lata, dentibus s. potius laciniis utrinque 3—4; superiora modo 8 lin. longa, 3 lin. lata. Squamae capituli 4 lin. longae, flosculis vix breviores, margine scariosae, apicem versus purpurascentes vix penicillatae. Achaenia immatura glabra et laevia. — Libenter pro *Werneriae pinnatifidae* var. haberem etsi folia longe breviora, minus incisa, sed squamae involucri omnino liberae videntur. — *W. pinnatifida* Remy saepissime folia pilis longis albis hirsuta, praesertim in margine et bracteas valde ciliatas lineares ostendit, nec non folia fere bipinnatifida. — *W. rhizoma* Remy vero ex mea sententia eadem ac *W. minima* Meyen et Walp. Nov. Act. Acad. Nat. Cur. p. 277, nec *W. pygmaea* Hook. et Arn. mihi diversa videtur. Bene monuit Remy marginem petiolo-

rum basi saepe lanatum esse; lanam longiorem eam idem esse ac quod in *W. pygmaea* axillae dense tomentosae vocatur credo.

874. **Senecio brachylobus** Ph. S. radiatus, fruticosus, glaberrimus; foliis crassis, rigidis, erectis, pinnatifidis, rhachi lobisque linearibus; lobis subquadrijugis, brevibus; fol. supremis integerrimis; ramis monocephalis; capitulo basi bracteolato; squamis involucri 18, dorso (sicut bracteae) scabris, margine scarioso, latiusculo; ligulis 8—10; achaeniis glabris. Ann. Univ. Chile 1862. p. 52.

E prov. Coquimbo prope Puntanegra lectum attulit orn. Volckmann. — Folia satis conferta, inferiora 17 lin. longa, cum lobis 4 lin. lata; rhachis vix 1 lin. lata, lobi vix angustiores, fere 2 lin. longi, plerumque integerrimi, raro dente uno alterove aucti; margo saepe reflexus. Bracteae ante basin capituli circa 5, setaceae, $1\frac{1}{2}$ lin. longae, sed capitula ecalyculata. Squamae involucri $2—2\frac{1}{2}$ lin. longae, discum aequant.

875. **Senecio Segethi** Ph. S. radiatus, suffruticosus, glaberrimus, humilis, caespitosus; ramis monocephalis, subnudis; foliis lineari-spathulatis, obtusis, rameis linearibus acutis; involucri subcalyculati squamis 12—14, abrupte acuminatis, omnibus herbaceis; ligulis paucis, circa 5, albis(?); flosculis disci circa 25; achaeniis glaberrimis.

In prov. Coquimbo loco dicto „Portezuelo de Doña Ana“, ubi conchae fossiles, invenit orn. Volckmann. — Rami confertissimi, 3-pollicares; folia confertissima, anguste-spathulata, inferiora 9 lin. longa, vix $1\frac{1}{2}$ lin. lata, superiora angustiora, sessilia, exacte linearia, acuta; bracteae nonnullae ad basin involucri conspicuntur, sed calyculum regularem non formant. Squamae involucri 5 lin. longae, omnino herbaceae, glaberrimae, din exacte lineares, dein abrupte acu-

minatae; apice haud sphacelatae, vix sub lente pilis brevissimis terminatae, dorso fuscae, discum aequantes. Ligulae breves sed ultra 1 lin. latae. Habitu *S. antucensis* Ph., a quo glabritie statim distinguitur.

876. **S. antucensis** *Ph.* var. *lanuginosa*. — Differt a *S. antucensi* normali: lanugine densa caulem, folia et involucrum obtegente, dentibusque foliorum valde callosis.

Specimen in Andibus „de Ranco" dictis inter lapides ad 6000 p. s. m. invenit orn. Pearce.

877. **S. Pearcei** Ph. S. radiatus, fruticosus, glaberrimus; foliis 4-pollicaribus, coriaceis, oblongis, in petiolum attenuatis, integerrimis, aut basi uno alterove lobulo auctis, superioribus semiamplexicaulibus; ramis subbifloris; pedunculis bracteatis; bracteis subulatis, ad basin capitulorum confertis; squamis involucri apice sphacelatis et penicillatis; ligulis 12 — 15; flosculis disci involucrum superantibus.

In pratis humidis Andium „de Ranco" dictorum prov. Valdiviae invenit orn. Pearce. — Ramum 9 poll. longum ante oculos habeo. Folia 4 poll. longa, 8 lin. lata, obtusiuscula, coriacea, margine undulata, ima basi lobulo uno alterove praedita; nervi laterales paucissimi, aegre conspicui; superiora 20 lin. longa, 3 lin. lata. Bracteae inferiores 6 lin. longae; squamae involucri c. 20, $3\frac{1}{2}$ lin. longae. Achaenia immatura hispida; pappus albus, pilis apicem versus scabris.

878. **Senecio buglossa** Ph. S. radiatus, herbaceus, demum glaber; caule fistuloso, tereti, striato, simplici; foliis subtus arachnoideis, inferioribus longe petiolatis, elongato-trapezoideis, profunde et dense dentatis; petioli basi dilatata, amplexicauli; caulinis superioribus paucis, basi lata subauriculata amplexicaulibus, dein angustatis, apice elongato integerrimis; corymbo circa 20-floro; pedicellis elongatis, bra-

eteolatis; involucri subcalyculati squamis circa 20; ligulis 5 — 7; achaeniis glabris.

Prope oppidum Valdivia ad margines fluviorum, incolis „Lengua de Vaca.“ — Caulis 1 1/2 — 2-pedalis, subquadrifolius, basi 2 1/2 lin. crassus, demum glaberrimus. Folium infimum petiolo 3 1/4 poll. longo insidens, 3 1/2 poll. longum, 1 1/3 poll. latum, trapezoideum, parte triangulari baseos sextam totius longitudinis partem occupante; nervi laterales 12 — 14; folium in medio caulis situm, vix 3 poll. longum, 4 lin latum. Pedunculi longiores 12 lin., breviores 3 lin. longi, bracteis subulatis onusti. Squamae involucri 2 1/3 lin. longae, apice brevissime ustulatae. — Differt a *S. Hualtata* corymbis pauciflоris, capitulis plerisque longe pedunculatis, involucro 10-phyllo, nec 20-phyllo, squamis apice ustulatis; a *S. fistuloso* foliis trapezoideis, dense et argute dentatis, neque oblongis, crenato-dentatis, squamis involucri 10 nec 20, ligulis 5 — 6 nec 10 etc. Folia inferiora saepe illis *S. Otitis* simillima, sed nullum auricularum, in hoc tam insignium, vestigium.

879. Senecio araucanus Ph. S. radiatus, herbaceus, glaberrimus; caule erecto, striato, foliato, simplici; foliis sessilibus, linearibus, acutis, medio 1 — 2-dentatis, inferioribus angustioribus, basi attennatis, minus dentatis; corymbo subobtofloro; pedicellis longiusculis; capitulis basi bracteatis, subcalyculatis; squamis involucri circa 15, apice vix ustulatis; ligulis c. 10; achaeniis longe hirsutis.

In montibus humidis „Nahuelbuta“ a. 1838 legit cl. Gay, et in herbario sub no. 631 reliquit. — Specimen quod suppetit 16 poll. longum, basi 2 lin. crassum, foliis majoribus 4, totidemque minoribus onustum est. Folia inferiora 5 poll. longa, 6 — 7 lin. lata, basi attennata, mediana omnino linearia, suprema quatuor ovato-lanceolata, pollicem longa, per-

acuta, illa pedicellorum lanceolato-subulata. Longitudo squamarum involucri $2^1/_2$ lin. Nervi in ligulis novem. Pili achaeniorum satis patentes, $^2/_3$ diametri achaeniorum aequant.

880. **Senecio prenanthifolius** Ph. S. radiatus, caule herbaceo, erecto, simplici; foliis sagittato-amplexicaulibus, oblongis, dentatis, supra glabris, subtus arachnoideis; corymbo pauciflore (subtriflore); squamis involucri calyculati circa 18, glaberrimis, apice penicillatis, dorso nigrescentibus; ligulis 12 — 16; achaeniis glaberrimis.

In nemoribus *Fagi antarctici* circa 4500 p. s. m. elevatis Andium „de Ranco" dictorum invenit orn. Pearce. — Caulis, quem examini subjicere potui, fere $1^1/_2$-pedalis, basi $1^1/_2$ lin. crassus, purpureus, sicut pagina inferior foliorum inferiorum, paullo flexuosus, sulcatus. Folia media 2 poll. longa, 7 lin. lata, basi paullulum attenuata, inferiora breviora, superiora angustiora, suprema demum linearia, fere integerrima; dentes praesertim in auricula baseos prominentes et approximati. Pedicelli florem aequant, et bracteis subulatis sat longis onusti sunt. Bracteae c. 6, similes, 2 — $2^1/_2$ lin. longae calyculi speciem sistunt. Squamae involucri 4 lin. longae; flosculi disci paullo longiores.

Obs. *Haplostichia stolonifera* mihi no. 545 nihil nisi *Senecio zosteraefolius* Hook. et Arn.

881. **Senecio patagonicus** Ph. S. radiatus, suffruticosus, sericeo-tomentosus, flavescens; ramulis elongatis, apice nudis, monocephalis; foliis anguste linearibus, confertis, sericeo-tomentosis, apice acutis; squamis involucri ecalyculati circa 15, sericeo-tomentosis, acutis, haud sphacelatis, disco vix brevioribus; ligulis 10 — 12; achaeniis *glaberrimis*.

E Patagonia attulit orn. Cox. — Caulis vetustus nigricans, sericeus. Rami 6 — 9-pollicares, sicut folia, pedun-

culi et squamae involucri pilis appressis sericeo-tomentosi, flavicantes. Folia in uno specimine 18 — 20 lin., in altero usque ad 36 lin. longa, in utroque modo $^2/_3$ lin. lata. Pars nuda rami, s. pedunculus, 4-pollicaris, bracteis 2—3 onusta. Longitudo capituli 6 lin., crass. 5 lin. Differt a *S. argenteo* Kunze et *S. chilensi* Less. achaeniis glaberrimis, a *S. farinifero* H. et A. squamis involucri haud farinoso-glanduliferis, a *S. phagnoloide* DC. foliis neutiquam demum subglabratis, involucro haud calyculato etc.

882. **Senecio carnosus** Ph. S. radiatus, suffruticosus, ramosus, glaberrimus, glaucus; ramis apice aphyllis, monocephalis; foliis ad basin confertis, carnosis, linearibus, subteretibus, peracutis, basi angustioribus; pedunculo pauci-bracteato; involucri squamis c. 12, fere omnino viridibus, apice subpenicillatis; ligulis circa 6 (?); achaeniis junioribus sericeo-pilosis. Ann. Univ. Chil. 1862. 2. p. 382.

In monte Nevado de Chillan juxta nivem perpetuam inveni. — Rami cinerei, vestigiis foliorum vetustorum squamiformibus obtecti. Ramuli florentes modo $3^1/_2$ poll. longi, usque ad medium densissime foliati. Folia 7 lin. longa, 1 lin. crassa. Bracteae ad basin capitulorum confertae; squamae involucri 3 lin. longae, bicarinatae, margine scarioso angusto.

883. **Senecio hypsophilus** Ph. S. radiatus, suffruticosus, ramosissimus, glaberrimus; ramis monocephalis, apice aphyllis, bracteas subulatas, elongatas gerentibus; foliis longe petiolatis, subspathulatis, quinquefidis; raro trifidis; squamis involucri c. 16, valde acuminatis; ligulis c. 16; achaeniis valde striatis, glaberrimis. Ann. Univ. Chil. 1862. p. 383.

In monte Cerro de Azufre prope thermas de Chillan juxta nivem perpetuam inveni. — Tota planta vix 6-pollicaris, caespites densos format. Rami floriferi c. $3^1/_2$-pollicares,

usque ad $^2/_3$ foliis onusti. Folia cum petiolo elongato 12 lin. longa; 3 lin. lata; laciniae c. $2\,^1/_2$ lin. longae, $^3/_4$ lin. latae, satis carnosae, margine revolutae; folia infima interdum integerrima. Bracteae omnes, etiam illae ad basin involucri, $3\,^1/_2$ lin. longae, lineari-setaceae. Squamae involucri $4 — 4\,^1/_2$ lin. longae, vix ultra $^1/_2$ lin. latae, fere a basi attenuatae, ideoque in acumen longum acutissimum terminatae. Lignlae squamas involucri bis aequant, ita ut diameter capituli cum ligulis 10 — 12 lin. sit.

884. **Senecio glaber?** Less. S. radiatus, fruticosus, glaberrimus; ramis elongatis, apice corymbosis; foliis pinnatifidis, basi auriculatis, lobis plerumque simplicissimis, acutis utrinque c. 8, rhachique linearibus; inferioribus minoribus, approximatis; pedicellis brevibus, bracteolatis; squamis involucri 10, laete viridibus, apice sphacelatis; ligulis c. 8; achaeniis immaturis puberulis.

In subandinis inter oppidum Chillan et thermas legi. — Rami $1\,^1/_2 — 2$-pedales, striati, basi 1 lin. crassi. Folia 12 — 14 lin. inter se distantia, 20 lin. longa, cum lobis 8 lin. lata; lobi c. 6 lin. longi, vix 1 lin. lati, infimi breves, auriculae speciem sistentes; supremis foliis lobi *breves*, vix 1 lin. longi. Ramuli corymbi $5 — 7$-flori; pedicelli modo 6 lin. longi, $2 — 5$ bracteis onusti. Longit. involucri $2\,^1/_2$ lin.; capituli 4 lin. Squamae involucri parum sphacelatae; bracteae ad basin involucri sat breves, distantes. Achaenia immatura $1\,^1/_4$ lin. longa, costae eorum ut mihi videtur omnes piligerae. Differt a *S. glabro* vero ramis striatis, lobis foliorum plerisque integerrimis; squamis involucri sphacelatis; pedicellis longioribus.

885. **Senecio Tocornali** Ph. S. radiatus, fruticosus, glaberrimus; ramis elongatis, apice corymbosis; foliis confer-

tis, pinnatifidis, basi vix auriculatis, lobis acutis circiter 7 utrinque saepe unidentatis rhachique linearibus; pedicellis brevibus, bracteolatis; squamis involucri c. 15, dorso nigricantibus, apice penicillatis, ligulis c. 10; achaeniis *glaberrimis*. An. Univ. Chil. 1862. 2. p. 383.

In subandinis cum priore inveni. — Folia modo 6 lin. inter se distant, fere 30 lin. longa, cum lobis 16 lin. lata; lobi fere 8 lin. longi, fere 1 lin., sub angulo recto divergentes, plerique latere inferiore infra medium lobuli dente aucti, terminalis saepe tridentatus; lobi foliorum supremorum *elongati, filiformes*. Bracteae ad basin capitulorum satis conferiae, fere 2 lin. longae. Squamae involucri $3^1/_2$ lin. longae; pars prominens ligularum 4 lin. longa, flores igitur multo majores quam in *S. glabro* etc. Achaenia immatura jam ultra 2 lin. longa, *glaberrima*, qua nota ab affinibus statim dignoscitur, pappum subaequantia, quod in affinibus pariter non observatur.

886. **Senecio brachylepis** Ph. S. radiatus, fruticosus, glaber; caule tereti, superius *sulcato-striato*; foliis pinnatipartitis, rhachi lobisque 3—5-jugis, obtusis, anguste linearibus; lobis integris aut lobulatis; corymbo composito polycephalo; pedicellis ebracteatis; involucri *ovati, brevis*, subcalyculati squamis circa 12, dorso glanduloso-asperulis, viridibus, apice penicillatis, vix sphacelatis, flosculis brevioribus; ligulis 8—10; achaeniis costatis, setuligeris.

Prope „Coucumen" in prov. Aconcagua invenit ornat. Landbeck. — Rami qui suppetunt pedales, valde ramosi, ramulis fastigiatis, basi $1^1/_2$ l. crassi, superius valde striato-sulcati. Folia internodia subaequantia, 13 lin. longa, 5—6 lin. lata; rhachis lobulique c. $^1/_2$ lin. lati. Involucra basi bracteolis subulatis 5—6 cincta; squamae late virides $2^1/_2$ lin. longae. — Planta *S. glabro* Less. primo adspectu similis,

sed caule superius valde striato, capitulis ovatis, brevibus, squamis viridibus, facillime distinguenda; in *S. glabro* enim capitula potius cylindrica, squamae $3^1/_3$ lin. longae, lutescentes, unde adspectus corymbi valde distinctus.

887. **Senecio hirsutulus** Ph. S. radiatus, fruticosus, pilis brevissimis, articulatis vestitus, siccus nigrescens; foliis pinnatisectis, rhachi lobulisque septemjugis linearibus; his in foliis inferioribus latioribus, angulato-dentatis, in superioribus linearibus, plerumque integerrimis; corymbo 5—10-floro; pedicellis bracteatis; involucri subcalyculati squamis c. 20, floscul̃s aequantibus, dorso hispidulis, margine scariosis, apice penicillatis, haud sphacelatis; ligulis 10—12; achaeniis costatis, setulosis.

Illapel, unde attulit orn. Landbeck. — Rami quos examinare licet 9-pollicares, dense foliosi, pilis brevibus, articulatis, albidis vestiti, qui in foliis breviores fiunt. Folia ut videtur valde carnosa, internodia superantia, 16 lin. longa, 5 lin. lata, plerumque in axilla ramum abortivum gerentia; rhachis $^3/_4$ lin. lata; lobi foliorum paucorum inferiorum cuneati, usque ad 4 lin. longi, apice 3—5-angulati, reliqui tam angusti quam rhachis, integerrimi aut lobulo uno alterove acuti, obtusiusculi. Pedicelli bracteis subulatis, c. 3 lin. longis onusti. Squamae involucri late campanulati 3 lin. longae.

888. **Gnaphalium foliosum** Ph. Gn. humile, ramosissimum, arachnoideo-lanatum, foliis obovatis, apice rotundatis, mucronatis; capitulis in apice ramorum sessilibus, glomeratis, basi lanae arachnoideae immersis; squamis involucri acutis, basi viridibus, apice fuscis.

Prope Llico in parte litorali prov. Colchagua invenit orn. Landbeck unicum specimen. — Planta valde peculiaris. Radix annua?, ramosa, tenuis, pallide fusca. Caulis 3 poll.

altus, sed ita ramosus, ut caespitem densum diam. 4—5 pollicum formet; rami enim non modo e basi sed e tota longitudine nascuntur et iterum dividuntur. Folia minus dense arachnoideo-tomentosa quam caulis, cinerea, majora 10 lin. longa, 6 lin. lata; etiam floralia obovato-spathulata. Glomeruli involucrati, usque ad 10 capitula gerentia, subfastigiata; longit. capitulorum 2 lin., diam. eorum 1 ½ lin.

889. **Gnaphalium illapelinum** Ph. Gn. arachnoideo-tomentosum, viridulum; foliis decurrentibus, anguste linearibus, inferioribus apice latioribus, rotundatis, superioribus acuminatis, longe mucronatis; capitulis in apice ramorum glomeratis, paucis, magnis; squamis argenteis, obtusiusculis, laceris.

Prope Illapel ab orn. Landbeck lectum. — Planta perennis, multiceps. Caules erecti, simplices, 6—9 poll. longi, sicut tota planta lana arachnoidea vestiti, cui pili glandulosi intermixti sunt. Folia plurima; inferiora 13 lin. longa, ultra lineam lata, basi sensim angustata, peracuta, suprema fere in filum terminata. Capitula 5 — 10, primum fere sessilia, demum pedicellata, longitud. 2 ½ lin., basi lana alba cincta. — A *Gn. leucocephalo* mihi foliis longe diversis differt.

Gnaphalium illapelinum β. lanatum, an spec. propria?

Specimina pauca prope Choapa lecta caule foliisque dense albo-lanatis, foliis latioribus, brevioribus, obtusis differunt.

890. **Gnaphalium ramosum** Ph. Gn. annuum, arachnoideo-lanuginosum, erectum, fere dichotome ramosum; foliis omnibus sessilibus, spathulatis, tenuibus; capitulis in axillis glomeratis, terminalibusque, basi lanae albae immersis; squamis junioribus viridibus, apice albo-scariosis, demum fusco-stramineis.

Specimen prope Concumen in prov. Aconcagua lectum suppetit. Radix pallide fusca, ramosa, tenuis. Caulis 6 ½

poll. altus, fere a basi ramosus, subdichotomus, fere fastigiatus. Folia inferiora 8 lin. longa, $2^2/_3$ lin. lata, exacte spathulata, sed mucronata; superiora $6^1/_2$ lin. longa, 2 lin. lata, potius elliptico-oblonga, basi attenuata. Squamae involucri $1^1/_3$ lin. longae, anguste lineares, vix lacerae, extimae breviores sed non latiores, lanceolatae.

891. **Gnaphalium suffruticosum** Ph. Gn. suffruticosum, ramosissimum, dense caespitosum, lana alba arachnoidea tectum; foliis lineari-oblongis vel subspbathulatis, fere pannosis; capitulis in spicam interruptam dispositis, basi lanae immersis; squamis involucri viridibus, apice scariosis pallide rufis, demum omnino rufis.

Prope Illapel et Choapa invenit orn. Landbeck. — Verus suffrutex, radix et inferior pars caulis valde lignosae. Folia inferiora parva, modo 3 lin. longa, 1 lin. lata, oblongo-linearia; caulina media majora, usque ad $7^1/_2$ lin. longa, 2 lin. lata, magis spathulata. In speciminibus illapelinis caulis vix 3-pollicaris glomerulis florum paucis terminatus, in choapensibus 5 poll. altis, spica interrupta ut in *Gn. spicato, falcato*, *Berteroano*. An cum *Gn. falcato* aut *Berteroano* conjungendum? Quaenam differentia tangibilis est in descriptione amborum?

892. **Gnaphalium Landbecki** Ph. G. caule herbaceo, erecto, tomentoso; foliis breviter decurrentibus, lineari-oblongis, basi angustatis apice obtusis, utrinque tomentosis, supra cinerascentibus; corymbo compacto, *capitulis glomerato-congestis*, ovato-campanulatis; involucri squamis sublanceolatis, citrinis.

Prope Llico in parte litorali prov. Colchagua a Landbeckio repertum. — Caulis usque $1^1/_2$-pedalis, plerumque vero 9—12-pollicaris. Folia conferta, 2 poll. longa, 5 lin.

lata; paullo infra apicem latiora, deinde versus basin sensim angustata, obtusa, suprema tamen a basi latiore angustata, acuminata. — Differt a *Gn. paniculato* Colla tomento densiore etiam paginae superioris foliorum; foliis latioribus, obtusis; inferioribus subspathulatis, corymbo congesto; a *Gn. citrino* H. et A. foliis breviter decurrentibus, obtusis etc.

893. **Gnaphalium pratense** Ph. Gn. perenne, magis minusve albo-lanatum; caule erecto; foliis linearibus, decurrentibus; capitulis in apice caulis glomerato-cymosis; involucri globosi squamis ovatis, glabris, scarioso-hyalinis, fusco-stramineis.

In herbosis prov. Valdiviae satis frequens. — Planta valde variabilis. *a*) Specimina ad lacum Ranco lecta ultra pedalia, simplicissima, caule superius densissime lanato usque ad flores foliato, foliis elongatis, perangustis, 26 lin. longis, $^3/_4$—1 lin. latis, fere incanis insignia. *b*) Specimen eodem loco lectum, lanugine longiore tectum sed magis viride est, et basi ramos frequentes emittit, folia multo latiora 24 lin. longa, $2^1/_2$ lin. lata, etiam paniculae approximata. *c*) Specimen prope Osorno lectum parum lanatum, caulem superius foliis raris distantibus parvis onustum, basi ramosum, folia omnia minora (majora modo 9 lin. longa, $1^1/_4$ lin. lata) multo minus lanata, undulata ostendit. A *Gn. luteo-albo* cui propter inflorescentiam simile foliis angustis, manifeste decurrentibus, a *Gn. cymatode* inflorescentia glomerata et lanugine facili negotio distinguitur.

894. **Gnaphalium leucocephalum** Ph. Gn. perenne, multiceps; caulibus erectis, medio pilos patentes breves glandulosos gerentibus, basi et praesertim superius arachnoideo-lanatis; foliis longe decurrentibus, glanduloso-puberulis, viscosis, inferioribus lineari-spathulatis, obtusis, superioribus linea-

ribus acutis; capitulis terminalibus, subsessilibus, glomerato-congestis; involucri squamis oblongis, obtusis, nitidis, e stramineo-albis.

In prov. Colchagua ad elevationem 2—3000 p. s. m. legit orn. Landbeck. — Caules saepe 4—6 ex eadem radice, pedales, stricti, simplicissimi. Folia inferiora 18 lin. longa, $3\,^1/_8$ lin. lata. Capitula 18—30 aggregata, diam. 2 lin.; involucrum fere 2 lin. longum. Flores ♀ subquadriseriati. Species inter reliquas chilenses squamis involucri fere albis, capitulis subsessilibus et pubescentia valde distincta, etiam a *Gn. Gayano* Remy, quod nondum vidi, differre videtur. Huic caulis 5—6-pollicaris, neutiquam araneosus tomentosusve, capitula magna (dimensio eheu! omissa), *stramineo-fulvescentia* tribuuntur.

895. **Gnaphalium diminutivum** Ph. Gn. annuum, caule erecto, simplicissimo, pollicari, longe arachnoideo-lanato; foliis sessilibus, linearibus, inferioribus basi longe attenuatis, superioribus majoribus, latioribus, magis lanatis, confertis, involucrantibus; capitulis terminalibus, sessilibus, 1—3; squamis involucri oblongis, nitidis, virentibus, apice vix fuscescentibus, basi lanae immersis.

In monte Cerro del Volcan ad originem fluvii Tinguiguirica invenit orn. W. Diaz. — Folia inferiora $3\,^1/_2$ lin. longa, vix $^1/_2$ lin. lata, superiora 4 lin. longa, fere 1 lin. lata; capitula 3—6; involucra fere $1\,^1/_2$ lin. longa. — A *Gn. perpusillo* mihi caulibus foliisque elongatis, colore squamarum involucri etc. statim distinguitur.

896. **Gnaphalium oliganthum** Ph. Gn. annuum? pusillum; caulibus e collo pluribus, decumbentibus, 1—2-pollicaribus, dense arachnoideo-lanatis; foliis oblongis, subspathulatis, haud decurrentibus, apice exquisite mucronatis,

villosis, cinereis; capitulis terminalibus paucis, 1 — 3, subsessilibus; parvis, cylindricis, squamis involucri lanae immersis, lanceolatis, pallidis, virescenti-stramineis.

In collibus aridis prope Catemu prov. Aconcagua legi. — Folia 4 lin. longa, 1 lin. lata, basi longe angustata, capitula 1 1/2 lin. longa. Caulis basi foliis siccis nigris dense opertus, an igitur perennis?, radix bipollicaris, parce ramosa, pallide fusca. — A *Gn. aldunateoidi*, cui habitu proximum, capitulis minutis, angustis, cylindricis et colore squamarum involucri satis discrepat.

897. **Gnaphalium phaeolepis** Ph. Gn. annuum? pusillum, ramosum, lana alba arachnoidea tectum; foliis sessilibus, basi longe attenuatis, oblongo-lincaribus; capitulis glomeratis, terminalibus et ad folia suprema axillaribus, lanae immersis; squamis involucri oblongis, obscure rufis, apice pallidioribus, basi nervo centro viridibus.

In pascuis prope Osorno crescit. — Specimen quod suppetit bipollicare; folia radicalia 4 1/2 lin. longa, 1 lin. lata, demum glabra; caulina superiora 3 lin. longa, 3/4 lin. lata, acuta; involucrantia paullo breviora. Diameter capitulorum vix 1 1/2 lin., longitudo involucri vix 1 1/4 lin. — Habitu ad *Gn. aldunateoides* accedit, a quo squamis obscure rufis, apice paullo pallidioribus sed non apice albis differt; a *Gn. sphacelato* inflorescentia haud spiciformi et squamis vix basi aliquantulum viridibus etc. diversum est. Amici in Germania quibus olim specimina misi, pro *Gn. cymatodis* varietate habuerunt, sed ab hac specie foliis haud decurrentibus etc. longe distat.

898. **Soliva valdiviana** Ph. S. annua, ramosa, depressa, longe hirsuta, canescens; foliis petiolatis, pinnatis, segmentis 3—5-partitis; laciniis linearibus, acutis; petiolis

basi membranaceo-dilatatis; capitulis in ramorum angulis sessilibus; achaeniis *haud alatis*, stylo persistente, spinoso coronatis.

Frequens in prov. Valdivia. — Caulis annuus, ramosissimus, plerumque depressus, humifusus, incanus, pilis albis longioribus vestitus, quam plerumque in *S. sessili* R. et P. observantur, cui simillima, sed achaenia longe diversa, obovata, dorso carinata, absque ullo alarum vestigio.

899. **Cephalophora Berteroana** Ph. C. caule gracili, apice parce ramoso, *ramis valde elongatis*, gracilibus; foliis oblique decurrentibus, oblongo-linearibus, superioribus integerrimis; capitulis *longissime pedunculatis;* squamis involucri brevissimis; paleis longe acuminatis, achaenia fere superantibus, $^2/_3$ corollae aequantibus.

Prope Rancagua Aprili legit cl. Bertero. — Rami $1\,^1/_2$-pedales, modo 1 lin. crassi, 4-cephali; folia inferiora 12 lin. longa, $1\,^1/_2$ lin. lata, uno latere longe magis decurrentia. Ramuli, vel si mavis pedunculi, quinquepollicares, pars nuda eorum $2\,^1/_2$-pollicaris; diameter capitulorum 5 lin., longitudo squamarum involucri $1\,^1/_2$. — Haec mihi videtur *Cephalophora glauca* Remy apud Gay IV. p. 264 sed non Cavanillesii Icon VI. p. 79. tab. 599, nam:

Plantae Cavanillesii	Plantae Remyanae
caulis herbaceus	caulis suffruticosus
rami perbreves	rami elongati, apice nudi
apice incrassati	apice haud incrassati
capituli diam. $6\,^1/_2$ lin. (ex icone)	capituli diam. 3 — 4 lin. (ex descript.)
paleae achaenium superantes	de paleis altum silentium.

Figuram Feuillei Observ. III. t. 45. inspicere non possum;

tertium hujus operis volumen in bibliotheca publica Santiagina dêsideratur. Plantam Cavanillesii nondum vidi.

900. **Cephalophora rigida** Ph. C. biennis; foliis radicalibus rosulatis, sub anthesi emarcidis; caule $1^1/_2$ — 2-pedali, simplici, apice in cymam polycephalam terminato, valde sulcato, setuloso; foliis caulinis coriaceis, rigidis, punctatis, glabris, sessilibus, basi auriculatis, auriculis paullulum decurrentibus, linearibus, subintegerrimis; pedunculis elongatis, plerumque monocephalis, basi folia 2 — 4 gerentibus, sulcatis; diametro capitulorum 5 — 6 lin.; ovariis nigris albovillosis; floscnlis cylindricis; paleis circa 7, albo-hyalinis, e basi triangulari acuminatis, $^2/_3$ ovarii aequantibus.

Prope Corral (et in prov. Colchagua) crescit. — Caulis basi $2^1/_2$ lin. crassus. Folium radicale speciminis colchagucnsis fere 24 lin. longum, $5^1/_2$ lin. latum, spathulato-cuneatum, longe petiolatum, apice rotundatum dentibusque 3 — 4 utrinque in parte apicali munitum; folia caulina 16 lin. longa, 2 lin. lata, acuta, superiora integerrima. Squamae involucri $3^1/_2$ lin. — A *C. glauca* Cav. statim pedunculis elongatis apice minime incrassatis, paleis brevibus, habitu; a *C. collina* mihi caule crasso robusto, foliis rigidis, corollis cylindricis, paleis; a *C. foliosa* mihi foliis panciorибus, brevioribus, rigidis, nèque herbaccis flaccidis, radicalibus multo latioribus; a *C plantaginea*, cui proximà, caule multo robustiore, foliis rigidis, paleis achaeniis brevioribus pilisque albis nec rufis differt, sed observationes posteriores et comparatio plurium specimiuum omnis aetatis forte ultimas tres varietates esse unius speciei docebunt, *C. plantagineae* nempe.

801. **Polygyne** Ph. novum genus Senecionidearum.

Capitulum multiflorum, heterogamum, subdiscoideum. Involucrum subcampanulatum, floscnlos aequans, squamis ovatis,

herbaceis, circa 6, uniseriatis constans. Receptaculum convexum, paleis paucis, filiformibus, viridibus, achaenia aequantibus onustum. Corollae minutae, marginales femineae, multiseriatae, ultra medium bifidae, laciniis filiformibus; ad basin oris denticuli duo (laciniae abbreviatae). Stylus florum ♀ lacinias aequans; stigmata obtusa, glabra. Corollae hermaphroditae disci perpaucae, tubuloso-infundibuliformes, profunde quadridentatae, dentibus erectis. Stamina quatuor, subsessilia; antherae oblongae, basi fere auriculatae. Stigmata acuta, papillosa. Achaenia conformia, compresso-quadrilatera, truncata. Pappus omnino nullus.

Polygyne inconspicua Ph.

In litore lacus de Aculco dicti occurrit, autumno floret. Annua, radix fusca, ramosa, pro ratione plantae crassa, carnosula. Rami e collo plurimi, humifusi, tripollicares, sicut tota planta hispiduli. Folia opposita, 5 lin. longa, 1 $^2/_3$ lin. lata, oblonga, in petiolum attenuata, integerrima. Pedunculi axillares, magis hirsuti quam reliqua planta, $2^2/_3$ lin. longi. Capitula diametri $1^1/_2$ lin.; longitudo squamarum $1^1/_2$ lin. Squamae in parte inferiore striatae, in superiore magis hispidae. Flosculi albi. — *Myrfogynae* similis, sed forma florum ♀ distinguitur, cum *Closia* Remy et *Vasquezia* Ph. characteribus florum magis convenit, sed habitus omnino diservus.

902. **Madariopsis chilensis** Nuttall, Gay IV. p. 270. Planta valde dubia secundum Remy l. c., frequentissima prope Santiago, in radice Andium, Rancagua (Bertero!) etc., sed *Madiae sativae* ut ovum ovo similis, et, ut videtur, *nullo alio charactere quam fructu tuberculoso distinguenda!*

903. **Cirsium lanceolatum** L. In subandinis supra oppidum Chillan jam communissimum factum est.

904. **Wahlenbergia.** Sub *W. linarioidi* species aut varietates? duae latere videntur. Prima *W. lin. macranthia*

mihi lacinias calycinales $2^1/_3$ lin. longas, ovarium obconicum aequantes, corollamque 6 lin. longam habet; specimina prope Quillota et Concepcion lecta suppetunt. Altera *W. l. micrantha* mihi lacinias calycinales modo 1 lin. longas, ovarii elongati vix dimidium aequantes, et corollam tantum $2^1/_2$ lin. longam ostendit; specimina prope Corral et in prov. Colchagua lecta ante oculos habeo. In foliis differentiam non video.

905. **Pernettya nubigena** Ph. P. foliis ovatis, acutiusculis, margine serrulatis, dentibus in pilum longum terminatis, junioribus subtus pilosis; floribus paniculatis, terminalibus; ovario calycem aequante; stylo longe exserto. Au. Univ. Chil. 1861. 1. p. 64.

In regione alpina montis Yute (c. 41° 50′ lat. austr.) invenit ornat. Pearce. — Frutex ramosissimus, ramis tripollicaribus, paucifoliis. Folia breviter petiolata, majora 9 lin. longa, $6^1/_2$ lin. lata, subtus venoso-reticulata. Panicula 15—20-flora; pedicelli basi bracteolis duabus subulatis fulti, 2—$2^1/_2$ lin. longi. Lobi calycini lanceolati, fere $1^1/_2$ lin. longi; corolla $2^1/_2$ lin. longa, urceolato-cylindrica, lobulis obtusis reflexis. Stamina ima basi inserta, dimidium corollae aequantia; filamentis basi aliquantulum dilatatis, glabris. Fructum maturum non vidi. — A *P. vernali* (*Arbuto v.* Pöpp.) ramis inflorescentiaque glabris, foliis multo minoribus, minus discoloribus, paniculisque terminalibus satis superque discrepat.

906. **Pernettya linifolia** Ph. P. glaberrima; foliis linearibus, obtusis, obsolete et distanter crenulatis, uninerviis, margine revolutis; pedunculis axillaribus, unifloris, folio brevioribus, flore ....; bacca ovata, alba, stylo coronata.

In montibus inter Corral et ostium fluminis-Riobueno detexit orn. R. Pearce. — Ramus qui suppetit pedalis, ramo-

sissimus, fuscus, sed ramuli tenuiores cinerascentes. Folia 5—6 lin. longa, vix 1 lin. lata, in petiolum brevem attenuata, obtusa, dentibus vel potius incisuris 2—3, brevissimis utrinque. Pedunculi 2 lin. longi, basi braeteis 2—3 squamaeformibus cincti; segmenta calycina lanceolata $^3/_4$ lin. lin. longa; bacca $2^1/_2$ lin. longa.

907. **Pernettya? elegans** Ph. P. glaberrima; ramulis angulatis; foliis linearibus, calloso-mucronatis, penninerviis, appresse serrulatis; pedunculis axillaribus, unifloris, folio multo brevioribus; laciniis calycinis triangularibus; fructu ....

Ad basin occidentalem montium, per quos via ad Pathgones „Boquete de Rauco“ dicta ducit, legit orn. Pearce. — Frutex tripedalis erectus; ramuli hornotini circa 4-pollicares. Folia 12—14 lin. longa, 2—$2^1/_3$ lin. lata, dentibus brevibus appressis, circa 6—8 utrinque. Pedunculi satis numerosi, 3 lin. longa, jam fere nudi, jam usque ad apicem bracteolati. Segmenta calycina 1 lin., corollae 2 lin. longae; dentes ejus reflexi, intus fulvescentes. Stamina in fundo corollae subsessilia. — Folia elegantissima.

908. **Lysimachia umbellata** Ph. Cent. nr. 548. est *Theopyxis chilensis* Griseb. Etiam in Andibus de Chillan dictis inveni.

909. **Menodora linoides** Ph. M. humilis, suffruticosa, glaberrima; foliis confertis, late linearibus; floribus terminalibus 1—3; calyce quinquefido.

Inter Chincolco et Concumen in prov. Aconcagua invenit orn. Landbeck. — Habitus *Lini aquilini* Mol. Folia internodia paullum superantia, opposita, exstipulata, 5 lin. longa, $1^1/_4$ lin. lata, carnoso-coriacea, uninervia, brevissime acuminata, erecta; suprema minora, bracteaeformia. Pedunculus, i. e. ea rami pars ab ultimo folio inde, modo $1^1/_2$ lin.

longus. Calyx in flore 2 lin. longus, usque ad medium fissus; laciniis linearibus angustis, nervo in medio prominente; in fructu canescens $3^1/_4$ — $3^1/_2$ lin. longus. Corolla laete citrina, imo extus purpurascens, infundibuliformis, 7 lin. longa; tubus brevis, intus barbatus; lobi ovato-oblongi seu ovati, imbricati. Stamina duo, tubo inserta, $^2/_3$ corollae aequantia; filamentum satis longum; anthera linearis, medio dorso affixa, fere 2 lin. longa, bilocularis, loculis parallelis, rima longitudinali dehiscentibus. — Ovarium profunde bilobum, disco basi immersum, qui pariter corollam gerit, biloculare, loculis biovulatis; ovula erecta, collateralia; deinde ovarium parte supera excrescente profunde separatum, fere duplex fit. Stylus e rima ovarii ortus, erectus, filiformis, stamina aequans, stigma capitatum, *obscure trilobum*. Fructus maturus non suppetit. — Differt a *Menodoris* typicis calyce quinquefido nec multifido, a *Bolivariis* loculis ovarii biovulatis.

910. **Holostemma? chilense** Ph. H.? suffruticosum, *pulverulentum*, demum glabrum; foliis brevepetiolatis, ovatis, acutis, submucronatis; cymis axillaribus, 3 — 8-floris, folio brevioribus, floribus luteis.

Prope argentifodinam „las Arañas" dictam Andium prov. Santiago in fissuris rupium inveni. Totius plantae juniores partes sub lente fortiori inspectae pilis brevibus fere squamiformibus aspersa. Rami debiles, teretes, fere filiformes, vetustiores cinerei; internodia usque ad $1^1/_2$ poll. longa. Folia opposita, petiolo $1^1/_4$ lin. longo, filiformi insidentia, ovata, acuta, submucronata, basi truncata, ad summum 8 lin. longa, $3^1/_4$ lin. lata. Cymarum pedunculus petiolum aequat; pedicelli basi bracteolati vix 1 lin. longi. Calyx vix $^3/_4$ lin. longus, quinquepartitus. Corolla duplo longior, rotata, quinquepartita, aurantiaca, apice loborum saepe purpureo. Corona integerrima, membranacea, laciniis interioribus nullis aucta,

flava. . . Columna staminea brevis; antherae apice membranaceo-auctae; connectivum latum; sacculi antherarum laterales; massae pollinicae 10, apice processu glanduloso, purpureo terminatae. . Folliculi graciles; immaturi jam 12 lin. longi, 2 lin. crassi.

911. **Astephanus cordifolius** Ph. A. caule volubili, pulverulento-puberulo; foliis profunde cordatis, ovatis, acutis; pedunculis axillaribus, 2—4-floris, subumbellatis, longiusculis; pedicellis flore parum brevioribus. Ann. Univ. Chil. 1862. 2. p. 399.

In declivi mendocino Andium, in transitu „Portillo de los Pinquenes" ab orn. W. Diaz repertus. — Rami pedales suppetunt, basi 1 lin. crassi, fistulosi, vix lignosi. — Petioli 5 lin. longi, folia cum auriculis 14 lin. longa, 10 lin. lata. Pedunculi fere semper una ex axillis oppositis nascuntur, 5 1/2 — 15 lin. longi; pedicelli 1 1/4 lin. basi bracteis subulatis cincti. Longit. calycis 1 1/2 lin., diam. corollae 4 lin. Haec sordide alba, extus puberula, lobis obtusiusculis. Folliculi immaturi 13 lin. longi, fere 3 lin. crassi, penduli. — Habitus omnino *Philibertiae canescentis* d'Orbigny Voy. tab. 9, sed corolla longe diversa; in nostra rotata, in illa campanulata, brevissime quinqueloba, lobis acutis.

912. **Cynoctonum patagonicum** Ph. C. erectum; ramis puberulis; foliis ovatis, aut ovato-orbicularibus, mucronatis; margine revolutis, in nervis puberulis; cymis brevipedunculatis, 2—3-floris; corollis glabris; corona staminea dimidiam corollam subaequante.

In Patagonia ad radicem Andium Valdivianarum legit orn. G. Cox. — An *C. myrtifolium* Hook.? sed huic folia obtusiuscula tribuuntur. A *C. mucronato* Dene. nostrum pubescentia, cymis 2—3-floris, non 4—6-floris; a *C. mucro-*

mulariaefolio Hook. et Arn. floribus majoribus 1 $^{2}/_{3}$ lin. longis (in hoc ex. op. Gayi laciniae calycis $^{1}/_{3}$ lin., corolla calycem bis aequans); a *C. undulato* Dene. umbellis haud sessilibus etc. differt.

913. Cynoctonum nemorosum Ph. C. caule volubili, in frutices alios adscendente, puberulo; foliis ovato- aut oblongo-lanceolatis, glabriusculis; umbellis suboctofloris; pedunculo petiolum aequante; pedicellis 1 lin. longis, flores parvos flavescentes aequantibus.

Satis frequens in nemoribus prov. Valdiviae sed raro flores observantur. Folia alia magis elongata, acuta, alia breviora obtusa, omnia tamen mucronata, subtus distincte venosa, penninervia, longiora, 1 poll. longa, 5 lin. lata, petiolo ad summum 2 lin. longo insidentia. Petiolus, nervus medianus, pedunculi, pedicelli, calyx dense pubescentes. In calyce et corolla notas diagnosticas non video. Folliculi maturi rufi, fere 2 $^{1}/_{2}$ poll. longi, 4 lin. crassi, apicem versus sensim attenuati, laeves. — A *C. pachyphyllo* Dene. foliis longe minoribus, floribus longe minoribus, brevius pedicellatis primo adspectu differt, a *C. chiloënsi* ejusdem foliis longe brevioribus, umbellis paucifloris, pedicellis longe brevioribus, floribus minoribus etc. discrepat. Pedunculus 2 $^{1}/_{2}$ lin.; pedicelli 1 $^{1}/_{3}$ lin. longi; diam. corollae 1 $^{1}/_{2}$ lin.

914. Cynoctonum biflorum Ph. C. fruticosum, haud volubile, erectum, humile, ramosissimum; ramulis sub lente puberulis; foliis confertis, minutis, ovatis, acuminatis, mucronatis; pedunculis biforis, brevissimis; corolla virescente, glabra, calycem bis aequante, corona staminea corolla duplo breviore.

In Andibus de Chillan dictis invenitur. — Rami modo 3-pollicares; internodia vix lineam longa. Folia majora 4

lin. longa, $2^1/_2$ lin. lata, glabra. Pedunculi cum floribus modo 2 lin. longi; calyx vix $^3/_4$ lin. longus, sub lente sericeus; corolla $1^1/_2$ lin. longa. Folliculi .... — Differt ab omnibus reliquis: pedunculis modo bifloris, et a plerisque affinibus: foliis acutis. Hac nota quidem cum *C. mucronata* Dcne. convenit, sed hnic flores 4 — 6, corolla cordide purpurea, tubo inferne abrupte angustato gracili notabilis tribuuntur.

915. **Oxypetalum brevipes** Ph. O. fruticosum, volubile, glabrum, glaucum; foliis cordatis, supremis subhastatis, elongatis, fere linearibus, margine revolutis; auriculis rotundatis; umbellis axillaribus, breve pedunculatis, c. 10-floris; floribus subsessilibus; lobis stigmatis brevibus, parum divergentibus.

Prope Concumen in prov. Aconcagua invenit orn. Landbeck. — Planta orgyalis; caulis basi $3^1/_2$ lin. crassus, cinereus; rami glauco-virides, 1 — $1^1/_2$ lin. crassi. Folia infima, quae raro adsunt, petiolo 7 lin. longo fulta, 9 lin. longa, totidem lata; sequentibus petiolus multo brevior, 2 — 3 lin. longus, lamina a sinu ad apicem 11 lin. longa, lobis $4^1/_2$ lin. distantibus. Pedunculi modo 2 — 3 lin. longi; pedicelli 1 lin. Calyx $1^1/_2$ lin. longus, extus albo-puberulus, laciniis linearibus. Corolla 3 lin. longa; laciniae extus puberulae, purpureae margine lutescentes, intus lutescentes. Coronae erectae foliola emarginata, $^2/_3$ corollae aequantia. Stylus $1^1/_2$ lin. longus, columnam staminean bis aequans. Fructus 3 poll. longus, $2^1/_2$ lin. crassus, laevis; semina rufa, 3 lin. longa.

916. **Gentiana Ottonis** Ph. G. multicaulis, caulibus erectis, *ramosis*, saepe 6—8-floris; foliis radicalibus confertissimis spathulatis, caulinis lineari-oblongis, supremis saepe verticillatis quaternis; floribus sat magnis pentameris; calycis

infundibuliformis laciniis oblongo-linearibus, *acutis*, tubum sesquies aequantibus; corolla rotata, imberbi, pallide caerulea, calycem bis aequante; laciniis ovatis obtusis.

Primum infelix Doctor Carolus Otto specimen in declivi mendocino Andium in transitu „Portillo de los Puiquenes" dicto lectum mihi tulit, deinde specimina nonnulla in Andibus Santiaginis lecta nactus sum. In horum majore ex eadem radice caules 11 surgunt, fastigiati, fere 7 poll. alti, quadrinodes. Folia radicalia 21 lin. longa, 7 lin. lata; caulina suprema 12 lin. longa, 3 lin. lata, connata, summa saepe verticillata, quaterna. Pedunculi crassi, 12 — 15 lin. longi. Calyx 7 lin. longus, tubus nempe 3 et laciniae 4 lin. Corolla $11\frac{1}{2}$ lin. longa, segmenta ejus fere $4\frac{1}{2}$ lin. lata, saepe paullo emarginata. Stamina et pistillum $\frac{2}{3}$ longitudinis corollae aequant. Specimen in latere mendocino lectum macrum corollam modo $7\frac{1}{2}$ lin. longam ostendit. — Lobis calycis acutis et caule ramoso multifloro statim a *G. multicauli* DC. distinguitur.

917. Gentiana Pearcei Ph. G. caule stricto, ramoso, angulato; foliis subcoriaceis, elliptico-oblongis, spathulatisque, obtusis, margine laevibus; floribus subracemosis, calycis fere quinquepartiti lobis ovatis s. ovato-oblongis, obtusis, inaequalibus; corollae infundibuliformis, calycem bis aequantis lobis lineari-oblongis, obtusis, tubum subsuperantibus; faucibus nudis; staminibus bis tertiam partem corollae aequantibus. An. Univ. Chil. 1861. 1. p. 65.

In Andibus „de Chillan" dictis reperit orn. Pearce, deinde ipse legi. — Planta 6—7-pollicaris, e basi ramulos multos, breves, saepe unifloros emittit. Folia radicalia 10 lin. longa, $3\frac{1}{3}$ lin. lata; caulina inferiora 14 lin. longa, 5 lin. lata; calyx $5\frac{1}{2}$ lin. longus, in fructu paullo major. Corolla pallide violacea intus haud plicata. — A *G. multicauli* corolla

infundibuliformi nec rotata differt; a *G. patagonica* calyce quinquefido, a *campestri* laciniis calycinis obtusissimis discrepat.

918. **Varasia sessilis** Ph. V. foliis oblongis; corollae laciniis 8, subaequalibus, intus pulchre caeruleis; capsula sessili. Ann. Univ. Chil. 1861. 1. p. 53. 54.

In Andibus ad Huanta circa 12,000 p. s. m. elevatis invenit orn. Volckmann; in Andibus elatioribus prov. Santiago orn. Landbeck. — A *V. podocarpa* a me in florula Atacamensi descripta haec corolla majore, laciniis subaequalibus, intus praesertim pulchre azureis, capsula sessili, foliisque paullo latioribus differt. Rami vix pollicem longi; folia suprema 3 lin. longa, $^1/_8$ lin. lata, calyx in flore $3^1/_2$ lin., in fructu 5 lin. longus. Capsula 4 lin. longa, lineam crassa. Obs. in figura *V. podocarpae* florulae Atacamensis corollam pentameram errore pinxi, tetramera est.

919. **Argylia glabriuscula** Ph. A. caule elongato, 1—2-pedali foliisque glabris; foliolis septem, radiantibus, subtripinnatifidis, lobis linearibus, acutiusculis; calycis lobis linearibus acutis, velutino-tomentosis; corolla velutina, atropurpurea (fere atra), 19—22 lin. longa, calycem quadruplo aequante.

In prov. Aconcagua ad Catemu, S. Felipe. — Foliola $3^1/_2$ poll. longa, rhachis ante pinnulas dilatata, 1 lin. lata, inter pinnulas lacinia elongata praedita. — Primum pro *A. piberula* DC. habui, sed huic folia pubescentia, minora (foliola vix 16 lin. longa), minus divisa, lobis obtusis terminata, et corolla 14 — 16 lin. longa. Secundum DC. prodr. IX. p. 235. corolla calyce *duplo* longior (an error typographicus loco quadruplo?), secundum Gay triplo longior; sed si calyx 4 lin. corolla 16 lin. longa pariter fere quadruplo

longior est; in figura Feuilléi corolla calyce *quintuplo* longior est.

920. Argylia eremophila Ph. A. caule 1 — 1 $^1/_2$-pedali foliisque glabriusculis; foliolis septem, radiantibus, interrupte bipinnatifidis; rhachi sulcata lobisque obtusissimis anguste linearibus; lobis calycinis linearibus, obtusis pedicellisque albovillosis; corolla lutea vel aurantiaca, pubescente, calycem sexies aequante.

A. pubernla Ph. Flor. Atac. no. 234. non DC. — Foliolum medianum 20 lin. longum, 8 lin. latum; rhachis $^3/_4$ lin. lata; lobuli vix 1 lin. longi. Calyx modo 2 $^1/_2$ lin. longus, corolla 18—20 lin. longa, tubo satis angusto. Capsulae fere glabrae. Satis superque ab *A. pubernla* differt: foliis glaberrimis, lobis obtusissimis, rotundatis, laciniis calycinis longe brevioribus obtusis; colore corollae, capsulis fere glabris, quae in *pubernla* fere villosae. Ab *A. Feuillei*, quam modo ex descriptione et icone Feuillei cognosco, flore breviore et foliis longe diversis, lobulis nempe angustis distantibus, qui in illa latiores et confluentes sunt, valde discrepat.

921. Argylia chrysantha Ph. A. humilis; caule, foliis novellis, calycibusque densissime rufo-villosis; foliis deinde dense pubescentibus, potius quinque- quam septempartitis, lobis interrupte bipinnatifidis; laciniis integris trilobisve, rhachi anguste lineari paullo latioribus; laciniis calycinis linearibus; corolla pulchre citrina, puberulo-villosa, calycem quater aequante.

Prope Copiapó legit orn. Dodt. Suppetit ramus quadripollicaris, foliis quatuor onustus; inferioribus petioli 2 $^1/_2$, superioribus 1 $^1/_2$ poll. longis. Foliolum intermedium 18 lin. longum, 7 lin. latum; lobuli c. 14-jugi, alii integri, alii

trifidi, alii pinnatifidi, omnes basi haud confluentes. Pedicelli bractea lineari-subulata fulti, inferiores fere 6 lin. longi; calyx fere 5 lin.; corolla pulchre aurea 20 lin. longa. — Species elegantissima.

922. **Argylia viridis** Ph. A. pubescens, laete viridis; foliis subradicalibus 5 — 7-partitis; foliolis lineari-cuneatis, pinnatifido-incisis, apice trilobis; lobulis majoribus iterum subtrilobis, omnibus apice rotundatis; pedunculis folia parum superantibus; corolla lutea, lacinias calycinales lineares acutas quinquies aequante.

Prope Concumen in prov. Aconcagua leg. orn. Landbeck. — Radix crassa, lignosa, multiceps. Petioli $1^1/_2$— 4-pollicares, saepe canaliculti. Foliolum intermedium 18 lin. longum, versus apicem profunde trilobum, fere 7 lin. latum; lobulis utrinque 6—9, late confluentibus, penultimis tri-, imo quinquelobis. Apex lobulorum obtusissimus, rotundatus, margo revolutus. Calyx in flore 2 lin., in fructu $2^1/_2$ — $2^3/_4$ lin. longus, corolla 10 — 11 lin. longa, lutea, aurantiaca vel pallide flava. Capsulae majores 24 lin. longae, fere 2 lin. crassae; semina $1^1/_3$ lin. longa.

923. **Tecoma valdiviana** mihi Centur. nr. 328. a cl. Seemann in Bonplandia sub nomine *Campsidii chilensis* melius descripta et figurata. 1862. p. 147. t. 11.

924. **Gilia intermedia** Ph. G. superius glanduloso-puberula; caule stricto simplici, superius paucifoliato; foliis basi confertis, crassis, pinnatifidis; laciniis *brevibus*, integerrimis aut unidentatis, brevissime mucronatis; floribus terminalibus, cymosis paucis; tubo corollae calycem fere bis aequante; laciniis dimidium tubum aequantibus. Ann. Univ. Chil. 1862. 2. p. 410.

In prov. Mendoza, loco dicto „Melocoton“ invenit orn. Weno. Diaz. — Radix alba, simplex. Caulis 4 — $4^1/_2$ poll. longus.

Folia ad basin caulis conferta, gossypino-hirsuta, 14 lin. longa, cum laciniis 4 lin. lata; laciniae, plerumque quinque utrinque et rhachis $^3/_4$ lin. latae. Folia floralia inferiora 4 lin. longa, lobulis utrinque tribus, perangustis. Flos centralis cymae fere sessilis, laterales pedicellati. Calyx $2^1/_2$ lin. longos, laciniis atro-violaceis; corolla $4^1/_2$ lin. longa. Fructus desiderantur. — Differt a *G. laciniata* apud Gay IV. p. 424, quam cl. Grisebach ex mea sententia jure pro nova specie sub nomine *G. valdiviensis* descripsit (Abh. d. kön. Gesellsch. Wissensch. Gött. Vol. VI.), et multo magis a *G. laciniata* R. et P.: tubo corollae elongato, foliis crassis, laciniis eorum brevibus, integerrimis. Hac nota cum *G. andicola* mihi (flor. Atacam) convenit, a qua vero: caule haud ramoso et inflorescentia cymosa neque subracemosa, foliorumque forma satis distincta videtur; cum *G. foetida* Gill. et *G. crassifolia* Benth. confundi non potest, quippe quibus tubus corollae brevis est.

925. Convolvulus cinerascens Ph. C. herbaceus, volubilis, *omnino sericeo-incanus;* foliis inferioribus ovato-cordatis, margine inciso-serratis, superioribus hastatis, septemlobis, lobis inferioribus duobus linearibus elongatis, intermedio maximo latiore, emarginato; pedunculis incrassatis, 1—3-floris; floribus roseis, magnis.

Prope S. Felipe de Aconcagua a Landbeckio lectus. — Folia fere exacte ut in *C. bonariensi* Cav., lobi intermedii foliorum nempe minores dentiformes. Pedunculi elongati, 21—33 lin. longi, pedicelli manifeste incrassati. Foliola calycina fere 5 lin. longa, cano-sericea; corolla saltem pollicaris. Pubescentia densa, sericea, incana fere, ut in *C. althaeoidi.*

926. Convolvulus bonariensis Cav. et *C. dissectus* ejus mihi, comparatis multis speciminibus, idem esse videntur.

Cl. Choisy in Prodr. IX. p. 411. *dissectum* „pedicellis clavato-incrassatis, corolla rubra, calycem paullo superante“ distinguit, at Cavanilles corollae, ait, *tubus* calyce paullo longior est, et corollam 9 lin. longam depingit, dum calyx (etiam ex Choisy) 3 — 4-linearis est; corolla igitur calycem *ter* superat. *C. bonariensis* secundum Choisy „pedunculis *unifloris*, petiolos [vix pollicares] paullo superantibus; pedicellis non aut vix incrassatis“ diguoscitur; Cavanilles contra *bonariensi* suo expressis verbis pedunculos *trifloros* tribuit: „florum pedunculus *communis* apice bibracteatus, ubi *partiales* excurrunt, plerumque *terni*“ et in figura pedunculus *communis* 17 — 19 lin. longus, petiolus verus modo 6 lin. longus; pedunculi igitur petiolum *ter aequantes*, neque paullo superantes, uti vult Choisy. Et revera in eodem specimine, imo in eodem ramo, pedunculos unifloros et trifloros, breves et longos saepe invenire potes, nec longitudo petiolorum et pedunculorum, nec foliorum forma in eodem ramo polymorpha notas distinctivas praebent, nihil igitur remanet nisi pedicelli *clavato-incrassati C. dissecti*, et pedicelli *non aut vix incrassati C. bonariensis!*

927. Convolvulus trifloras Ph. C. sericeo-pubescens, volubilis; foliis hastato-cordatis, oblongo-linearibus, lobis truncatis, antice dente obtuso acutis; pedunculis axillaribus folio brevioribus, trifloris; pedicellis calycem sericeum aequantibus; corolla pallide purpurea, calycem bis aequante, 7 lin. longa.

In prov. Santiago secus vias occurrit. — Folia inferiora 30 lin. longa; basi propter auriculas 8 lin., caeterum modo 5 lin. lata, petiolo 7 — 8 lin. longo insidentia, auriculis magis rotundatis, quam in foliis superioribus; in his auriculae oblique truncatae; angulis duobus fere rectis terminatae, et dens obtusus, late triangularis inter auriculam et reliquam

folii partem. Pedicelli laterales ex axilla bracteae parvae subulatae nati, ipsi basi bibracteati; intermedius nudus. Foliola calycina exteriora reliqua involventia, ovato-oblonga, mucronata, margine fimbriato-ciliata. Corolla angulis extus pilosa, lobis acutis, satis elongatis, apice penicillatis. Stigmata elongata, filiformia. — Locus natalis cum *Aniseia costata*, *Convolvulo c.* Meyen convenit, qui nimis breviter descriptus est, sed huic pedunculi modo 1—2-flori folia *superantes* tribuuntur.

928. C. andinus Ph. C. radice crassa, lignosa, multicipite; caulibus procumbentibus, filiformibus, incano-sericeis, sicut tota planta; foliis minutis, cordato-ovatis, obtusiusculis, margine undulatis; pedunculis axillaribus, unifloris, calycem aequantibus; laciniis calycinis obtusis; corolla carnea, calycem 2—2 ½ aequante.

In Andibus provinciae Santiago haud rarus. — Radix usque ad 7 lin. crassa, extus fusca. Rami 3—6-pollicares. *Folia majora modo 5 lin. longa, 4 lin. lata, petiolo 1 ⅔ lin. longo insidentia et sensim in eum abeuntia.* Pedunculi 2 ½ lin. longi, paullo infra calycem bracteolis duabus, lanceolato-linearibus onusti. Sepala duo inferiora majora, 2 ½ lin. longa, 2 lin. lata, ovata, superiora aeque longa, margine lato scarioso. Capsula diametri 4 lin., subquadrivalvis. Semina nigra, opaca, 3 lin. longa. Flos primus interdum longius pedunculatus. — Vix *C. demissi* var., a quo: foliis minutis, semper cordatis, nunquam biauriculatis, pubescentia densa, sericea etc. differt.

929. Calystegia Krauseana Ph. C. glabra; caule prostrato, haud volubili; foliis ovato-cordatis, acutis, macronatis, auriculis truncatis; pedunculis unifloris, petiolum subsuperantibus; bracteis cordatis, *obtusis*; laciniis calycinis obtusis; corolla rosea, calycem ter aequante.

Prope Carral detexit Krause. — Caulis 1—1½-pedalis. Petioli usque ad 15 lin. longi; laminam 14 lin. longam, 10 lin. latam sustentant; alia folia latiora, alia angustiora. Pedunculi 14—16 lin. longi; calyx 6 lin., bracteae involucrantes 5½ lin., corolla 15 lin. — An *C. roseae* Ph. var.? obstat caulis non volubilis, folia breviora, bracteae et laciniae calycis obtusae.

930. **Cuscuta pauciflora** Ph. C. caule tenui, filiformi; floribus solitariis, binis ternisve, sat magnis (1⅔ lin. longis), late campanulatis; pedunculis flores aequantibus vel superantibus, nudis, vel squamas 1—3 gerentibus; calycis cupulati dentibus late triangularibus, tubum subaequantibus; corollae laciniis oblongo-triangularibus patulis; staminibus stylos, filamentis antheras aequantibus, stigmatibus capitatis, globosis.

In *Myrto Nummularia* prope Ancud inveni. Squamae ad basin filamentorum parvae fimbriatae.

931. **Phacelia sinuata** Ph. Ph. hispida, viscida, erecta, ramosa; foliis petiolatis, linearibus, sinuatis, lobis integerrimis aut incisis; laciniis calycinis ovatis, haud accrescentibus; staminibus inclusis.

In provincia Coquimbo variis locis: v. Doña Ana, Quebrada escondida etc. invenit orn. Volckmann. — Radix simplicissima, albida, 1½ lin. crassa. Caulis 5-pollicaris, basi 1½—2 lin. crassus. Folia ad basin conferta, bipollicaria, petiolo tertiam hujus longitudinis partem occupante, 5 lin. lata, lobis utrinque 5—6; in foliis majoribus lobi bis vel ter crenato-incisis; rhachis vix 1½ lin. lata. Flores dense conferti, caerulei; calyx vix 2 lin. longus; corolla calycem sesquies aequans, diu persistens. Capsula ovata, acuta, calycem aequans, albida, extus semina non ostendit; semina quatuor, oblonga, verrucoso-aspera. — Differt a *Ph. viscosa*

mihi flor. Atac.: foliis linearibus, fere pinnatifidis; lobis calycinis ovatis nec spathulatis neque excrescentibus; staminibus inclusis etc.

932. Eutoca pusilla Ph. Eu. pusilla, pubescens, viscosa; foliis bipinnatifidis, laciniis brevissimis, angustis; floribus minutis, axillaribus terminalibusque; laciniis calycinis linearispathulatis.

In Andibus prov. Santiago loco dicto „Malpaso“ inveni. — Radix simplex, filiformis, pallide fusca. Caulis vix $2^1/_2$-pollicaris, erectus, filiformis, apice nudus. Folia radicalia $1^1/_2$ poll. longa, $2^1/_2$ lin. lata, pinnis 6—10; latit. laciniarum vix $^1/_3$ lin. Flores inferiores axillares, imo fere basilares, pedunculo 5 lin. longo insidentes, supremi fere capitati, subquini, basi foliis nonnullis cincti; quae simpliciter pinnatifido-incisa. Calyx in flore fere 2 lin., in fructu 3 lin. longus; laciniis linearibus, $^1/_3$ lin. latis; basi angustatis. Corolla basi lutescens, apice violascens, fere 3 lin. longa. — Differt ab *Eu. Cumingii* Benth. exiguitate omnium partium; laciniis calycinis multo angustioribus; corolla bene explicata calyce multo longiore.

933. Heliotropium mendocinum Ph. Ann. Univ. Chil. 1862. 2. p. 400. — H. suffruticosum, ramosissimum, pilis albis appressis omnino strigosum; foliis linearibus, in petiolum brevem attenuatis, acutis, margine subrevolutis; spicis laxis, plerumque geminatis, basi bracteolatis; corollae albae, calycem bis aequantis tubo extus et intus strigoso; stigmate conico, glabro, apice penicillato, stylum fere superante; nuculis hispidis.

In prov. Mendoza legit cl. W. Diaz. — Radix simplex, fusca. Caulis sex poll. altus, basi praesertim valde ramosus. Folia majora 7 lin. longa, 1 lin. lata, petiolo fere

1 lin. longo insidentia, conferta; nervus medianus subtus valde prominulus. Spicae demum $2^1/_2$-pollicares, juniores haud scorpioideae; flores laxi, inferiores modo bracteati, bracteis subulatis. Calyx usque ad medium fissus, $1^2/_3$ lin. longus, laciniis angustis, parum inaequalibus. Corolla fere $3^1/_2$ lin. longa; limbi expansi diamet. $2^2/_3$ lin.; tubus calyce longior, luteus, extus et intus pilis rigidis appressis hirtus, qui per vittas longitudinales nervo mediano loborum correspondentes dispositi sunt. Stamina parti inferiori tubi inserta; antherae apice acutae basi sua stigmatis apicem, apice suo lacinias calycinas attingunt. Nuculae subglobosae, pilis patentibus albis hispidae, utroque latere foveolatae.

934. Heliotropium chrysanthum Ph. Ann. Univ. Chil. 1862. 2. p. 400. H. suffruticosum, pilis appressis albis strigosum et incanum; foliis confertis, linearibus, obtusiusculis, margine revolutis; spicis terminalibus, solitariis, pauciflоris, floribus 7 — 10, sessilibus, bractea subulata foliis; calycis quinquepartiti laciniis lineari-subulatis; corolla (sicca saltem) pulchre aurea; tubo calycem superante extus albo strigoso, intus glabro, corona pilorum e faucibus modo pendentibus; stigmate subsessili, elongato-conico.

Pariter e prov. Mendoza attulit W. Diaz. — Caulis ad summum 9-pollicaris, basi lignosus, 11 lin. crassus. Folia majora $9^1/_2$ lin. longa, $1^1/_3$ lin. lata; petiolus eorum vix 1 lin. Laciniae calycinales 2 lin. longae; corolla 4 lin.; diam. limbi $2^2/_3$. Fructus fere didymus, nuculae latere foveolatae, pilis albis mollibus vestitae. Tubus corollae et pars mediana laciniarum extus pilis albis appressis confertis strigosi, sed intus tubus glaberrimus, et modo e faucibus quinque pilorum fasciculi nascuntur. Antherae ut in priore sitae, sed elongato-conicae. Stylus brevissimus; stigma basi inflatum,

deinde abrupte angustatum et sensim attennatum, apice barbatum.

935. Heliotropium Pearcei Ph. — H. fruticosum, ramosissimum, strigoso-hispidum; foliis confertis, fasciculatis, minutis, linearibus, obtusis, margine revolutis; spicis dichotomis, floribus minutis. Ann. Univ. Chil. 1861. 1. p. 65.

In prov. Coquimbo legit orn. Pearce. — Ramuli floriferi in specimine quod suppetit vix $2\frac{1}{2}$ poll. longi, adulti glabrati. Folia $3\frac{1}{2}$ lin. longa, $\frac{1}{2}$—$\frac{2}{3}$ lin. lata. Corollae 2 lin. longae, albae, extus sicut calyx setis albidis hispidae; laciniae calycinae breves, triangulares; tubus corollae brevis, calycem vix superans. Fructus .... — Ab *H. chenopodiaceo* A. DC., quocum floribus foliisque parvis convenit, foliis, calycibus, ramulis strigoso-hispidis nec glabris et glutinosis statim dignoscitur.

936. Eritrichum Volckmanni Ph. E. suffruticosum, multicaule; ramis foliisque viridibus, setis patentibus albidis, hispidis, foliis linearibus aut oblongo-linearibus; florum capitulis terminalibus densis, globosis, bracteatis; calyce setis flavidis hispidissimo; corollae tubo brevi. Ann. Univ. Chil. 1861. 1. p. 54.

Prope Huanta in prov. Coquimbo legit orn. Volckmann. — Specimen, quod ante oculos habeo, ramos quadripollicares circa $\frac{3}{4}$ lin. crassos ostendit, qui plerumque e medio unum vel duos ramulos florigeros emittunt, et apice capitulo florum terminantur. Color parum canus, foliorum praesertim satis viridis. Folia inferiora fere pollicem longa, $\frac{3}{4}$ lin. lata, superiora modo 6 lin. longa, fere $1\frac{1}{2}$ lin. lata; ramea pollicem circiter inter se distant, suprema globulis florum magis minusve approximata. Flores subsessiles, inferiores bracteola calycem aequante fulti; calyx modo 1 lin.

longus, laciniis linearibus obtusis, setis flavescentibus fere lineam longis densissime obsitus, sed minime tomentosus. Diameter limbi corollae fere $1\,^1/_2$ lin., tubus vix $^3/_4$ lin. longus. Fructus in capitulis nondum aderant, sed in basi ramorum, sicut in *E. dimorpho* mihi, aliisque, flores solitarii aderant fructum maturum relinquentes. Hi fructus calyce inclusi, 1—$1\,^1/_4$ lin. longi; achaenia alba, apicem versus valde attenuata, extus convexa, intus tricostata, laevia. — A reliquis speciebus capituligeris v. gr. *E. capitulifloro*, *gnaphalioide* etc. calyce minime lanato-tomentoso facile distinguitur.

937. **Eritrichum longisetum** Ph. E. annuum, setis magnis patentibus, pilisque appressis vestitum; caule dense foliato; foliis linearibus, a basi sensim angustatis; calycis parvi, setis horridi laciniis setaceis, floribus minutis.

In prov. Aconcagua prope S. Felipe, Catemu etc. legi. — Caulis jam 6-pollicaris simplex, cum $1 — 1\,^1/_2$-pedalis ramosissimus, setis patentibus, fere $1\,^1/_2$ lin. longis primum flavis, deinde albis sicut folia et calyx hispidus. Folia 8—14 lin. longa, $^3/_4$ lin. lata. Spicae geminatae vel ternae, calyx $1\,^2/_3$ lin. longus, fructifer vero $2\,^1/_2$ lin. longus, quinquepartitus, laciniis setaceis, seta longa terminatis. Corollae tubus calycem aequans, diam. limbi vix $1\,^1/_4$ lin. Achaenia vix 1 lin. longa, acuminata, valde tuberculata. — Species pubescentia, caule dense folioso, floribus minutis, laciniis calycinis setaceis distincta; flores axillares, quales in *E. clandestino*, nulli.

938. **Eritrichum glareosum** Ph. E. annuum, pilis patentibus hirsutum, subcanescens; caule erecto, apice ramoso, c. 6-pollicari; foliis anguste linearibus; spicis dichotomis aphyllis; calycibus densissime hispidis, floribus minimis.

In alveo fluminis Aconcagua frequens. — Folia $9\,^1/_2$ lin.

longa, vix $^2/_8$ lin. lata; calyx modo $1\,^1/_4$ lin. longus; tubus corollae calycem aequans, diam. corollae modo $^1/_2$ lin.! Achaenia punctato-aspera.

939. **Eritrichum apricum** Ph. E. perenne, pilis elongatis albis hispidum; caule pedali erecto, saepe a basi ramoso; foliis confertis linearibus, elongatis, spicis dichotomis et trichotomis, aphyllis; floribus pedicellatis; calycis quinquepartiti laciniis angustis, linearibus, obtusis; diametro corollae bilineari.

In variis locis prov. Aconcagua legi v. gr. prope Catemu. — Caulis c. pedalis, $1\,^1/_2$ lin. crassus. Folia 22 lin. longa, $1-1\,^1/_4$ lin. lata. Calyces breviter pedunculati, fructiferi 2 lin. longi. Achaenia dimidium calycem aequantia, albida, asperrima, sed achaenia hypogaea calyce urceolato breviter? dentato inclusa duplo majora, 2 lin. longa, olivacea, laevinscula. — An *E. lineare* DC.? Planta, quam pro *E. lineari* habeo, pariter fructus hypogaeos habet et racemos apice circinatos sed flores sessiles et calyces multo minores ostendit, caulemque simplicem.

940. **Eritrichum minutiflorum** Ph. E. perenne?, pilis albis appressis strigosum; caule erecto, apice corymboso; foliis linearibus, obtusis, inferioribus emarcidis; racemis bis et ter dichotomis, aphyllis; calyce subsessili, setis flavis patentibus horrido; corollae minimae tubo calycem aequante, limbo brevissimo.

In prov. Colchagua legit orn. Landbeck. — Radix brevis, simplex, nigra. Caulis circa 9-pollicaris, basi vix lineam crassus. Folia radicalia et caulina inferiora emarcida, caulina majora quae adsunt pollicem longa, $^3/_4$ lin. lata, pleraque convoluta, omnia erecta. Racemi demum tripollicares. Calyx $1\,^1/_6$ lin. longus, haud accrescens; setae baseos calycis

diametrum tubi aequant, setae laciniarum vero longe breviores appressae. Diam. limbi corollae vix $^3/_4$ lin. Achaenia $^3/_4$ lin. longa. Etiam in hac specie ad basin caulis calyces, unus vel duo, sessiles, nigri, $3\,^1/_2$ l. longi, laciniis lanceolatis, qui achaenia fere $2\,^1/_2$ lin. longa, nigra, parce granulata includunt. — Habitus et flores minuti *E. glareosi*, sed perenne, fructibus hypogaeis donatum, caulis appresse pilosus et calyces setis patentibus horridi.

941. **Eritrichium diffusum** Ph. E. perenne? caule diffuse ramoso, pedali, setulis patentibus hirsuto, albo-verruculoso; foliis linearibus, albo-verrucosis, hispidis; calycibus subsessilibus; tubo sicut laciniae setis patentibus flavis horrido; corollae minimae tubo calycem aequante.

In Andibus prov. Coquimbo invenit cl. Volckmann. — Pars inferior caulis deest. Folia 15 lin. longa, $1\,^1/_2$ lin. lata, exacte linearia; suprema tantummodo basi latiora, nec semper. Racemi ut videtur breviores quam in antecedente. Calyx florifer $1\,^1/_4$ lin. longus, fructifer vix major, ad summum $1\,^1/_2$ lin. Setae parum longiores quam calyx, sed densiores quam in antecedente, et in laciniis pariter patentes, aeque longae quam in tubo. Achaenia subrugosa, longiora quam in *E. minutiflora*. Ab hoc *E. diffusum* praeterea differt: caule diffuse ramoso, foliis albo-verrucosis, planis, latioribus etc.

942. **Eritrichium chrysanthum** Ph. E. perenne; radice simplici; caule erecto, basi ramoso, sicut folia pilis patentibus hispido; foliis linearibus obtusis; racemis densis, globiformibus; calyce setulis flavis dense obsito; corolla sat magna, pulchre aurantiaca, diam. 2 linearum.

In Andibus prope Illapel legit idem. — Caulis sexpollicaris, basi ramosus, ramis divaricatis. Folia pollicem longa, 1 lin. lata. Pedunculi saepe elongati, nudi, sub capitulo vero

foliati, fere involucrati. Diameter capitulorum 5—6 lin. Calyx fere 1 1/2 lin. longus; laciniae fere lineares, obtusae propter pubem apicis densiorem spathulatae apparent. Tubus corollae latus, brevis; fauces angustatae. Achaenia nondum maturavere, sed non desunt fructus hypogaei, calyce jam destructo liberi; haec achaenia alba, 2 lin. longa, tuberculis sat magnis, irregularibus asperrima.

943. Eritrichum pratense Ph. E. perenne, pilis appressis dense vestitum; caule ramosissimo decumbente; foliis linearibus, acutiusculis, plerisque oppositis; racemis demum elongatis, aphyllis; pedicellis calyce brevioribus; calyce pilis lutescentibus dense vestito; tubo corollae calycem aequante, limbo mediocri 1 1/2-lineari; achaeniis albidis, reticulato-rugosis.

In pratis udis prov. Valdiviae inter Roble et Pilmaiquen legi. — Radix nigra, ramosa, lignosa. Caulis ramosissimus, 6 — 9 poll. longus. Folia exacte linearia, majora 13 lin. longa, 1 1/2 lin. lata, sicca albo-verrucosa. Calyx fructifer fere 1 1/2 lin. longus, florifer 1 lin. longus; laciniis linearibus, obtusis.

944. Moluccella laevis L.

Haec planta syriaca variis in locis prov. Aconcagua spontanea facta est v. gr. prope Concumen, in transitus inter Santiago et S. Felipe de Chacabuco dicti declivi boreali etc.

945. Stachys ochroleuca Ph. St. 2., hirsuto-villosa; caule adscendente; foliis inferioribus petiolatis, oblongo-ellipticis, crenatis, superioribus cuneatis, in petiolum attenuatis, sessilibusque, crenato-serratis, floralibus demum ovato-lanceolatis, integerrimis, inferioribus calycem bis aequantibus; verticillastris 5 — 6-floris; calycis infundibuliformis dentibus tubum dimidium vix superantibus, pungentibus; corollae ochroleucae tubo calycem superante.

Prope Rafael inter Tomé et Chillan invenit orn. Völckmann. — Rami 9 — 12-pollicares. Folia inferiora petiolo $6^1/_2$ lin. longo insidentia, 11 lin. longa, 5 lin. lata; dentes utrinque c. 4; caulina mediana 14 lin. longa, $3^1/_2$ lin. lata, dentibus utrinque 6. Flores subsessiles, calyx $2^2/_3$ lin. longus; tubus corollae 3 lin.; labium inferius disco purpureo-punctatum, 4 lin. longum; superius dense glanduloso-pubescens. Pili similes apice glanduliferi totam inflorescentiam obtegunt. — Ab omnibus St. chilensibus colore floris statim distinguitur.

946. **Stachys elliptica** Ph. St. suffruticosa, erecta, *villosa*; foliis basi rotundato-cuneatis, ovato-ellipticis, *pauci-crenatis*; floralibus sessilibus, demum integerrimis; verticillastris sexfloris; calycis *longius villosi* dentibus apice spinosis; corollae calycem fere ter aequantis tubo calycem superante.

In Andibus prov. Santiago inveni. — Caulis 9-pollicaris. Folia infima pedunculo 5 lin. longo insidentia, $3^1/_2$ lin. longa, $2^1/_2$ lin. lata, mox majora, brevius petiolata; majoribus longitudo $7^1/_2$ lin., latit. $4^1/_2$ lin., petiolus $2^1/_2$ linearum, dentes utrinque quinque. Folia floralia inferiora calycem fere bis aequant et subcrenata sunt, sequentia integerrima, calyci aequalia. Calyces 3 lin. longi, dentes anguste lanceolati, tubo paullo longiores. Labium corollae inferius tubum ejus aequat.

947. **Stachys Toronjilcillo** Ph. St. radice lignosa; caulibus erectis, basi villosis, superius glanduloso-puberulis; foliis oblongis, rugosis, basi cordatis, crenatis, crenis utrinque 7 — 9; verticillastris sexfloris; calyce (foliisque floralibus lanceolatis, integerrimis) spinoso, glanduloso-pubescente et hirsuto; corollae calycem bis aequantis tubo vix e calyce exserto, labio superiore extus dense villoso.

Prope Concumen, ubi ab incolis „Toronjilcillo“ vocatur, invenit orn. Landbeck. — Caulis $^1/_2$ — $1^1/_2$-pedalis. Folia inferiora petiolo $6^1/_2$ lin. longo fulta, 9 lin. longa, 4 lin. lata, superiora omnino sessilia, jam spinosa. Calyx $2^3/_4$ lin. longus. In omnibus speciminibus pubescentia brevis, dense glandulosa, sed in nonnullis praeterea pili albi longiores, $^3/_4$ lin. longi, patentes, numerosissimi, in aliis pauci. — Ab omnibus speciebus chilensibus pubescentia brevi glandulosa et foliis floralibus etiam inferioribus integerrimis differt.

948. Prunella vulgaris L.

Prope oppidum Ancud, caput insulae Chiloë (antea S. Carlos) Januario 1859 inveni.

949. Bouchea copiapensis Gay V. p. 26. t. 55. et *Priva laevis* Juss. (*Castelia cuneato-ovata* Cav. Ic. 583) eandem plantam esse comparatio iconum primo adspectu docet. Non solum prope Copiapó frequens est, sed etiam prope S. Felipe, S. Bernardo, Mendoza etc. Nomen vernaculum *Papilla* non *Bapilla*.

950. Verbena Landbecki Ph. V. suffruticosa, pilis patentibus, brevibus hispida; foliis brevibus, multipartitis; laciniis linearibus obtusis, margine revolutis; floribus capitatis, pulchre *caeruleis*; bracteis *subulatis*, calyce parum brevioribus; antherarum appendicibus nullis.

Prope Choapa invenit orn. Landbeck. — E collo lignoso caules plures, 6 — 8 poll. longi, ramosi, adscendentes nascuntur. Folia conferta fasciculata apparent, propterea quod fere omnia ramum rudimentarium in axilla fovent; longitudo eorum 5 — 7 lin., latit. 5 — 6, lobi utrinque 2 — 3, quorum inferior, longior, iterum trilobus vel bilobus, reliqui integri. Internodia superiora elongata sunt. Pedunculus 8 — 16 lin. longus; calyx $3^1/_2$ lin. longus. — Habitus omnino

V. erinoidis, *sulphureae* etc., sed ab omnibus speciebus ejus sectionis defectu appendicum in antheris differt.

951. Verbena porrigens Ph. V. suffruticosa, canescens, pilis brevibus, albis, patentibus hispidula; caulibus adscendentibus; foliis strigosis, multipartitis; laciniis linearibus obtusis; floribus capitatis; capitulis demum elongatis; bracteis lanceolatis, *calycem dimidium aequantibus;* floribus roseis; appendicibus antherarum clavatis, exsertis.

Prope Quilimari in prov. Aconcagua invenit orn. Landbeck. — E collo lignoso caules plures erecti vel adscendentes, $^1/_2$ — $1\,^1/_2$-pedales surgunt. Folia majora 8 lin. longa, fere totidem lata; lobulis utrinque 2—3, inferioribus trilobis v. bilobis; reliquis integris; lobi omnes lineares, apice rotundati, margine revoluti, pilis albis appressis dense vestiti. Pedunculi jam $^1/_2$ jam 2 poll. longi. Calyx $2\,^1/_2$ lin. longus; hispidus, sed bracteae modo $1\,^3/_4$ lin. longae. Tubus corollae 4 lin. longus. — Unica species chilensis antherarum appendicibus clavatis, exsertis munita, quae antea innotuit, est *V. sulphurea* Sweet, quae colore floris, colore viridi foliorum, eorumque laciniis longioribus, angustioribus primo adspectu differt.

952. Verbena bonariensis? L. V. herbacea erecta, setis brevibus hispidula, caule tetragono-canaliculato; foliis oblongo-lanceolatis, superioribus semiamplexicaulibus, profunde serratis; spicis terminalibus, plerumque ternis, elongatis, *densis;* bracteis vix hispidulis, calyce parum longioribus.

In provincia Valdivia frequens. — Caulis interdum quadripedalis, simplex, apice trifurcatus, sed saepe plures ex eadem radice. Folia 2 poll. longa, 5 lin. lata, basi paullulum angustata, dimidium caulem amplectentia, profunde serrata,

aspera, nempe setis brevibus, appressis, e verruca ortis, obsita, quae in nervis paginae inferioris longiores fiunt. Folia suprema integerrima, lanceolato-linearia. Pedunculi valde elongati. Spicae satis densae, sed breves, c. $1^1/_2$-pollicares, multo breviores quam in *V. hispida* R. et P. Bracteae, infimis exceptis, calycem perparum excedentes, pilis *perbrevibus* hispiduli. Calyx minutus saepe purpureus. Flores violacei, minuti. — Omnino intermedia inter *V. hispidam* R. et P. et *V. litoralem* Kth., a priori pubescentia brevi praesertim bractearum, ab hac caule hispidulo et spicis densis primo adspectu diversa.

953. **Lippia scirpea** Ph. L. fruticosa, subaphylla, glabra; ramis elongatis, inanibus, striatis, foliis minimis oblongis, oppositis, spicis terminalibus laxis; floribus bifariam dispositis; bracteis squamaeformibus; calycis *glabri*, elongati dentibus elongatis, corollae albidae faucibus pilosis, tubo calycem bis aequante. Ann. Univ. Chil. 1862. 2. p. 402.

In declivi Andium mendocino in transitu „Portillo de los Piuquenes" dicto invenit orn. W. Diaz. — Rami pedales, basi $1^1/_4$ lin. crassi; internodia saepe $1^1/_2$-pollicaria. Folia saepe squamiformia, in ramis novellis $1^1/_4$ lin. longa. Spicae s. racemi 1—2 poll. longae; bracteae subulatae $1^1/_4$ lin.; pedicelli vix 1 lin. Calyx $2^1/_2$ lin., dentes ejus valde inaequales, angusti. Tubus corollae arcuatus 4 lin. longus; diam. limbi 4 lin.; laciniae siccae sulfureae, venis nigricantibus. Fructus non adsunt. — An *Dipyrena glaberrima* Hook. et Gill.? Locus natalis et descriptio conveniunt sed folia *alterna* dicuntur.

954. **Lippia juncea?** var. foliis dentatis. *Dipyrena dentata* Ph. Linnaea nr. 347.

Specimina a cl. Gay in collibus subandinis prope Cou-

quenes Jan. 1831, in Andibus prope Linares ab oru. Germain, in valle flum. Rio Claro prov. Colchagua ab oru. Volckmann lecta adsunt, aliaque quae ipse in Andibus Santiaginis legi. Frutex circa 4-pedalis. Folia in petiolum brevissimum attenuata, ovato-oblonga, *obtusa*, *utrinque dentibus quinque grossis subserrata*, majora 8 lin. longa, 4 lin. lata. Spicae interdum $2^1/_2$-pollicares (in opere Gayi ad summum pollicares dicuntur); rhachis et calyx dense pubescentes; corolla 5 lin. longa, calycemque ter aequans; fructus dicoccus, dispermus.

Species valdiviana prope Rio negro lecta, quae in opere Gayi ad *Lippiam junceam* refertur, arbor, foliis acutis, subintegerrimis mihi distincta videtur. Eam sub nomine *Dipyrenae valdivianae* l. c. nr. 346 descripsi. Ambae et antecedens a Lippiis reliquis chilensibus corolla calycem quater aequante satis differunt, et cum *Dipyrena* conveniunt, cui tamen fructus tetraspermus adscribitur. *D. glaberrimam*, quae in Andibus inter Santiago et Mendoza crescere dicitur, nondum vidi. Opera in quibus haec species depictae sunt, eheu! inspicere non possum.

955. **Nierembergia petiolata** Remy Gay V. p. 46. est *N. repens* R. et P., quae ab iis minus exacte depicta est; etenim in locis a R. et P. indicatis *N. petiolata* frequentissima est, neque alia occurrit.

956. **Nicotiana multiflora** Ph. N. herbacea, caule erecto, *ramosissimo*, 3—5-pedali, pubescente, viscoso; foliis petiolatis, *late ovatis*, acuminatis; floralibus anguste lineari-bus; floribus numerosis, paniculatis; corolla elongato-tubulosa, alba, calycem ter aequante.

Prope Choapa reperit orn. Landbeck. — Radix alba. Caulis basi 2 lin. crassus, fere a basi ramosus. Folia infe-

riora petiolo 1 1/2 poll. longo fulta, 5 poll. longa, 3 poll. lata, sequentia sensim angustiora, lanceolata, suprema linearia, 2 poll. longa, vix 1 lin. lata. Pedunculi inferiores elongati, bracteati, bractea alabastrum in axilla fovente; pedicelli modo 3—4 lin. longi. Calyx 4 1/2—5 lin. longus, vix accrescens, laciniis linearibus, obtusis, vix inaequalibus. Corolla 19—20 lin. longa, vix 1 1/2 lin. ante expansionem limbi lata, laciniis acutis, intus alba, extus viridis. A *N. pauciflora* Remy et *N. acuminata* Grah. statim floribus numerosissimis, a *N. angustifolia* R. et P. foliis late ovatis differt.

957. Nicotiana? minima Ph. N.? perennis, humillima; foliis rosulatis, spathulatis, glaberrimis; floribus solitariis, subsessilibus; calyce quinquepartito, lobis linearibus obtusis; corolla calycem bis aequante, extus pubescente, infundibuliformi, limbo quinquangulari, ante anthesin plicato; staminibus aequalibus, e faucibus subexsertis; antheris globosis; stigmate patelliformi, 2/3 corollae aequante.

In fissuris rupium in Andibus „de Ranco" dictis ad c. 5500 ped. s. m. invenit orn. Pearce. — Tota plantula pollicaris. Folia radicalia 4 lin. longa, 1 2/3 lin. lata. Pedunculi 2 lin. longi, foliati, foliis ad basin floris confertis, potius linearibus quam spathulatis, apice rotundatis. Calyx 3 lin. longus, usque ad quartam vel tertiam partem fissus, laciniis late linearibus rotundatis, quae cum foliis supremis confundi possint. Corolla 6 lin. longa, albida, plicis violaceis. Antherae pallide flavae. Fructus?

957 b. Nicotiana parviflora Ph. N. caule 1 - 1 1/2-pedali, basi lanato-villoso, apice glanduloso-puberulo, viscoso; foliis *sessilibus*, caulinis inferioribus latis, oblongis, utrinque aequaliter angustatis, fere rhombeis, *supremis ovato-lanceolatis*; pedicellis calyce brevioribus; corolla parva; calycem vix bis aequante.

Prope S. Felipe de Aconcagua legi. — Folia inferiora 5 1/2 poll. longa, 25 lin. lata; calyx in flore 4 1/2 lin. longus, corolla 7 lin. longa. — Primum pro *N. Miersii* Remy (Gay V. p. 56.) habui, at satis differre videtur: foliis radicalibus emarcidis neque rosulatis, caulinis latis, etiam summis latioribus, ovato-lanceolatis; calycis laciniis haud ciliatis. (*N. parviflora* auct. est *Petuniae* sp.)

Observ. *Nicotiana Miersii* Remy apud Gay vol. V. p. 57. *N. micrantha* horti Paris. esse dicitur, et p. 48 ejusdem vol. *Nicotiana micrantha* hort. Par. ad *Nierembergiam anomalam* Miers refertur, sed descriptio ambarum satis diversa. An nihilominus eadem planta?

958. **Physalis mendocina** Ph. An. Univ. Chil. 1862. 2. p. 402. — Ph. annua, glabra, partibus junioribus modo pulverulento-puberulis; foliis saepe geminis, sat longe petiolatis, ovatis, integerrimis; pedunculis axillaribus, solitariis, erectis, fructiferis deflexis; calyce magno, campanulato; corolla immaculata, magna, flavescente; antheris flavis.

Loco „Melocoton“ dicto in prov. Mendoza invenit ornat. W. Diaz. — Folia petiolo 9—10-lineari insidentia, usque ad 22 lin. longa et tunc 15 lin. lata, plerumque paullo minora, ejusdem paris jam aequalia jam paullo inaequalia. Pedunculi 15 lin. longi; calyx in flore 5 lin. longus, dentibus triangularibus acutis, dimidium tubum vix superantibus, basi densius puberulus. Diam. corollae 8. lin.; extus et intus pulverulento-puberula sed minime hirsuta est. Antherae elongatae, flavae. Stylus stamina fere bis aequans, rectus, apice stigmate subgloboso terminatus. Calyx in fructu immaturo jam 12 lin. longus, subclausus. Alabastrum floris mihi magnitudinis regularis esse videtur. — Primum pro *Ph. glabriuscula* Dun. habui, sed haec petiolo pilosulo, pedunculis longe bre-

vioribus; corollis tubo et fauce villosis abunde differre videtur.

959. Solanum pyrrhocarpum Ph. Ann. Univ. Chil. 1862. 2. p. 383. — S. fruticosum, glaberrimum; foliis carnosis, ovatis, integerrimis, acutiusculis; cymis demum axillaribus; corollis ....; fructu *ovato*, coccineo.

Paullo infra thermas „de Chillan“ dictas legi. — Folia 20 lin. longa, 10 lin. lata, acuta, sed non longe mucronata, petiolo 8 lin. longo insidentia. Pedunculus communis (fructifer) pollicem longus, c. 20-florus; pedicelli 10 lin. longi; calyx patens, 5 lin. longus; baccae 7 lin. longae, 4 lin. crassae. Flores si e fructu argumentare licet magni. — Simillimum *S. crispo* R. et P., sed fructu duplo majore, ovato valde diversum.

960. Solanum Coxii Ph. S. suffruticosum; ramis foliisque novellis dense hirsutulis; foliis breviter petiolatis, ovatis, inferioribus subintegerrimis, reliquis repando-dentatis, dentibus utrinque 1 — 3; umbellis suboppositifoliis, paucifloris; pedunculo communi folium haud aequante, pedicellis aequali; dentibus calycinis quinque, hispidulis, obtusiusculis; laciniis corollae elongatis, acutis, dense puberulis; staminibus coalitis a stylo adscendente superatis.

Ad lacum Todos los Santos reperit orn. Cox. — Rami 4 — 5 poll. longi suppetunt. Folia internodia superantia, incluso petiolo 3 lin. longo usque ad 16 lin. longa, 7 lin. lata, basi cuneata sensim in petiolum attenuata, demum glabriuscula; nervi utrinque tres, simplices. Pedunculus communis 6 lin. longus, pedicelli demum refracti. Dentes calycini $^3/_4$ — 1 lin. longi. Diam. corollae apertae 4 lin., columna staminea 1 $^1/_2$ lin. Fructus .... — Ad *Morellas spurias* Dunalii (DC. Prodr. XIII. a. p. 44) pertinet.

961. **Solanum mendocinum** Ph. Ann. Univ. Chil. 1862. 2. p. 403. S. annuum; caule ramoso, tereti, strigoso, caeterum laevi; foliis petiolatis, lanceolatis, integris vel repando-dentatis, acutis, utrinque laete viridibus; cymis extraaxillaribus, paucifloris (2—4-floris); calycibus viridibus; pedicellis demum deflexis; baccis globosis.

In prov. Mendoza invenit orn. Wenc. Diaz. — Folia majora 16 lin. longa, 5 lin. lata, petiolo 4—5-lineari insidentia, (omnia?) solitaria, dentibus acutis 1—4 utrinque praedita, vel integerrima, supra fere glaberrima, subtus aeque viridia, etsi pilis albis appressis, in nervis copiosioribus obsita; nervi laterales utrinque quinque, perobliqui. Pedunculus communis $5\frac{1}{2}$ lin., strigosus; pedicelli $3\frac{1}{2}$ lin. longi. Calyx $1\frac{1}{2}$ lin. longus, pilis paucis obsitus, viridis. Corolla $2\frac{1}{4}$ lin. longa, primum alba, deinde violacea. Antherae demum longitudinaliter fissae. Baccae nigrae? diam. $3\frac{1}{4}$ lin. — A *S. gracili* et *atriplicifolio* Gill. facile pubescentia distinguitur.

962. **Solanum calophyllum** Ph. Ann. Univ. Chil. 1862. 2. p. 403. — S. annuum, laete viride, pilis paucis albis strigosum; caule tereti; foliis petiolatis, oblongis, pectinato-pinnatifidis, laciniis utrinque circa tribus; pedunculis extraaxillaribus, paucifloris (2—5-floris), fructiferis deflexis; calyce viridi, post anthesin accrescente; floribus minutis; baccis globosis.

In prov. Mendoza habitat; Wenc. Diaz. — Specimen, quod suppetit, 9-pollicare, satis ramosum. Folia majora pollicem longa, $6\frac{1}{2}$ lin. lata, rhachis vero modo $2—2\frac{1}{2}$ lin.; petiolus $4\frac{1}{3}$ lin.; lobi fere semper integerrimi; raro dente muniti, acuti, raro obtusi; supremi duo utrinque plerumque late triangulares. Pili in petiolo et margine folii copiosiores. Pagina inferior aeque viridis ac superior. Pedunculi 5 lin.

longi; pedicelli in flore $2\frac{1}{2}$, in fructu 5 lin. longi. Calyx laete viridis etsi pilis paucis appressis vestitus, $1\frac{1}{3}$ lin., corolla $2\frac{1}{2}$ lin. longa. Baccae (virides?) diametri $3\frac{1}{2}$ lin.; calyce 2 lin. longo fultae.

963. **Solanum albiflorum** Ph. S. herbaceum, *glaberrimum*, ramosum; caule vix decurrentia foliorum lineato; foliis petiolatis, pinnatifidis, lobis 5 — 7 lanceolatis, obtusiusculis, terminali latiore, non breviore; rhachi lobis angustiore; cymis dichotomis, c. 15-floris; pedicellis calycibusque strigosis; laciniis calycis linearibus obtusis; corolla duplo saltem majore, extus pubescente, *lactea*; pedicellis fructiferis deflexis.

In sepibus prope Illapel invenit orn. Landbeck. — Planta bipedalis, herbacea, valde ramosa. Folia majora 2 poll. 8 lin. longa, 1 poll. 6 lin. lata; hujus longitudinis petiolus 6 — 8 lin. occupat. Lobi sub angulo recto vel parum acuto protensi, 10 lin. longi, 3 lin. lati. Fere omnia folia in axilla ramum magis minusve evolutum fovent. Cymas primas oppositifolias, reliquas ex eadem axilla enatas et ramum terminantes video. Pedicelli ebracteolati, 3 — 4 lin. longi. Calyx $1\frac{1}{2}$ lin., in fructu non accrescens, sed laciniae tunc basi latiores. Corolla $3\frac{1}{2}$ lin. longa, diametri 5 lin., *lactea*. Stamina demum longitudinaliter dehiscentes; stylus stamina excedens, ultra medium dense pubernlus; stigmate crasso, bilobo terminatus. Pedicelli fructiferi deflexi. Baccae globosae, immaturae diam. 3 lin., demum nigrae. — Ab omnibus affinibus glabritie perfecta caulis foliorumque et floribus albis facillime distinguitur.

964. **Solanum papósanum** mihi Flor. Atac. nr. 288 est *S. phyllanthum* Cav. Pariter in provincia Coquimbo occurrit; unde attulit orn. Volckmann.

965. **Solanum Bridgesii** Ph. S. glabrum; caule *ligno*so, lineis prominentibus notato; ramulis angulatis, in angulis muricatis; foliis ovato-oblongis, repando-dentatis, integerrimisve; pedunculis extraaxillaribus 3—6-floris, folium vix aequantibus, dichotome cymosis; calycis parce hirtelli laciniis obtusis; floribus parvis, extus violaceis, albo-limbatis et hispidiusculis; baccis globosis pisi magnitudine.

In prov. Aconcagua ad Panquegue et in prov. Santiago prope Colina legi. — Caulis tripedalis, suffruticosus, neque annuus. Folia majora 2 poll. longa, 9 lin. lata, in petiolum attenuata, qui quartam partem hujus longitudinis occupat, pilis paucis brevibus hinc inde adspersa, vix ciliolata; inferiora obtusissima, rotundata. Pedunculi communes circa 9 lin. longi, satis erecti, pedicellique c. $3\frac{1}{4}$ lin. longi pilis appressis brevibus vestiti. Calyx $1\frac{1}{3}$ lin. longus. Longit. corollae 3 lin., laciniae ejus acutiusculae; intus albida est. Antherae liberae, demum longitudinaliter fissae, lacinias corollae aequant. Stylus longior, basi pubescens.

966. **Solanum Sadae** Ph. S. fruticosum; caule *tereti*, foliis, pedunculis, calycibusque glaberrimis; foliis coriaceis, petiolatis, ovatis, s. ovato-oblongis, *obtusis*, rotundatis, imo interdum retusis; corymbis terminalibus 4—7-floris; pedicellis *elongatis*; calyce brevidentato; corollis magnis, extus puberulis.

In prov. Colchaguae Andibus satis frequens videtur. — Folia majora 18 lin. longa, 12 lin. lata, petiolo $7\frac{1}{2}$ lin. longo insidentia, pleraque vero minora, 12 — 15 lin. longa. Corymbi *subsimplices* pedicellis filiformibus, 9 — 12 lin. longis; pars inferior pedunculorum variis floribus communium brevis, crassa, bracteis squamiformibus terminata. Calyx $1\frac{2}{3}$ lin. longus. Diameter corollae 8 lin.; laciniae ejus acutae. An-

therae liberae, demum rima longitudinali apertae. Baccae .... — Differt a *S. crispo* foliis minime acuminatis, sed obtusis, imo rotundatis et retusis, minoribus; corymbo paucifloro, simplici; corollis majoribus; a *S. Tomatillo* Remy foliis brevioribus, latioribus, longius petiolatis; corymbis pauciflóris; pedicellis tenuioribus etc. — Dixi in memoriam amicissimi Dom. Ludovici Sada, Mediolanensis, qui plurimas arbores, frutices aliasque plantas ex Europa in Chilensem Rempublicam introduxit.

967. Solanum Landbecki Ph. S. fruticosum, pube brevi stellata densissime pulverulentum; ramis teretibus, vix linea-tis; foliis solitariis petiolatis, ovato-oblongis, basi subcordatis, acuminatis, margine vix undulatis, subtus pallidis; corymbo composito multifloro; pedicellis, calycibus et pagina exteriore corollae incanis; dentibus calycinis brevissimis; diametro corollae quinquelineari.

E prov. Colchagua attulit orn. Landbeck. — Frutex 7—8-pedalis. Folia 2 poll. 10 lin. longa, 12—16 lin. lata, petiolo pollicari insidentia. Diameter cymae 3-pollicaris; pedicelli sensim incrassati 5 lin., calyx 1 1/2 lin. longus. Antherae liberae, demum longitudinaliter fissae. Stylus stamina bis aequat et versus apicem incrassatus est. Baccae .... — Differt a *S. crispo* et *S. Berteroano* Remy pubescentia, a *S. Gayano* Remy floribus minoribus etc. — Obs. Cl. Remy *S. Gayano* suo baccas pisi magnitudine tribuit, sed in planta Valdiviana quam pro *S. Gayano* habeo, baccae diametrum 6 linearum attingunt.

968. Solanum Krauseanum Ph. S. fruticosum, scandens; ramis teretibus, fistulosis, pulverulento-pubescentibus; foliis solitariis, ovato-lanceolatis, membranaceis; glabris, petiolatis; corymbis paucifloris; ramulos laterales terminantibus;

calycis glabri dentibus brevibus, corollis extus glabris, margine tantum puberulis.

In nemoribus Valdiviae crescit; prope Corral invenit Krause, ad fontes flum. Tata ipse. — Folia $2^3/_4$ poll. longa, 16 lin. lata, petiolo 6 lin. longo insidentia. Ramuli floriferi bipollicares, foliati; flores 2—7, pedicellis c. 9 lin. longis ebracteatis. Calyx $1^1/_3$ lin. longus. Corolla reflexa (an semper?) extensa diametri 8 lin., profunde quinquepartita. Antherae liberae modo 2 lin. longae. Stylus dimidio longior. Specimen fructiferum paullo differt: caule distincte angulato, minus dense puberulo, foliisque minoribus vix 2 poll. longis, 8 lin. latis; pedunculi fructiferi 12 lin. longi; baccarum (immaturarum) diameter $4^1/_2$ lin.

Obs. Cl. Dunal in elaborandis Solanaceis Prodromi Regni Vegetabilis 1852 opus Gayi jam 1849 publicatum omnino ignorasse doleo.

969. **Lycopersicum Pissisi** Ph. L. pulverulento-puberulum; foliis interrupte pinnatis; foliolis 2—4-jugis, ovatis, acutis, subintegerrimis, terminali paullo majore, ovato-triangulari; calycibus dimidiam corollam aequantibus. Ann. Univ. Chil. 1861, p. 56.

Prope Vallenar invenit orn. Volckmann. — Folia modo 2 poll. longa; foliola breviter petiolata, ad summum 8 lin. longa, 4 lin. lata, integerrima aut parum repanda, nervulis 3 ad 4 utrinque; foliola minora interjecta $1^1/_2$ lin. longa, ovata vel oblonga. Racemi folia vix superantes, ebracteati, subdecemflori; pedicelli glanduloso-puberuli, 5 lin. longi, fructiferi ultra medium fracti. Calyx in flore $1^1/_2$ lin., in fructu 3 lin. longus. Corolla 3 lineas longa. Columna antherarum 4 lin. longa, acuminata, stylum aequilongum includens. Baccae globosae, luteae, diam. 4 linearum. — Unica

species quae foliolis integerrimis gaudet, *L. pimpinellifolium*, glabra est, et folia magna, 6-pollicaria habet.

Obs. In Prodr. DC. vol. XIII. p. 24. *Lyc. chilense* describitur, „prope Cobija in regno Chilense crescens.“ Auctor geographiae parum gnarus est, etenim Cobija in Bolivia jacet et nunquam ad regnum Chilense pertinuit.

970. Lycium chilense Miers. Var. glaberrima, angustifolia, prope Coquimbo a Volckmannio lecta est. Ramuli, folia, pedunculi, calyces glaberrimi, laciniae calycis modo ciliolatae. Folia solito angustiora, 9 lin. longa, vix 1 lin. lata. Spinae nullae. Corolla extus pubernla et circulo solito pilorum alborum supra basin ornata.

971. Lycium longiflorum Ph. Ann. Univ. Chil. 1862. 2. p. 403. — *L. glaberrimum, spinosum; ramis virgatis, subflexuosis, spinas frequentes 1 — 2-pollicares emittentibus; foliis fasciculatis, oblongo-lincaribus, basi sensim attenuatis, subsphathulatis; floribus plerumque geminis, e fasciculo foliorum ortis, pedunculo brevi, filiformi fultis; calyce brevi, quinquedentato; corolla tubuloso-infundibuliformi, calycem sexies superante; staminibus exsertis a stylo superatis.*

E prov. Mendoza, ubi ab incolis *Llaullin espinudo* vocatur, attulit orn. W. Diaz. — Cortex rufus sed velut cinerea prnina obtectus. Folia majora $5\,^1/_2$ lin. longa, $1\,^1/_2$ lin. lata. Pedunculi $1\,^2/_3$ lin. longi; calyx 1 lin. longus; corolla 6 lin. longa, dentibus brevissimis reflexis, flavescens, intus glabra. Stamina corollam fere linea superant; pars inferior filamentorum hirsuta. Stylus usque ad decem lin. longus; stigma dilatatum obliquum. Fructus . . . Simillimum *L. stenophyllo* Remy Gay V. p. 94, sed foliis latioribus, staminibusque exsertis statim dignoscitur; in *L. stenophyllo* corolla modo $4\,^1/_2$ lin., stylus brevior, stigma crassius.

972. Latua venenosa mihi est *Lycioplesium pubiflorum* Griseb., sed erraverunt, qui Lechlero nomen vernaculum *Taso* indicarunt; hoc *Flotowiae diacanthoidi* competit, facillime deficientibus floribus cum *Latua* confundendae non sine magna noxa.

Desfontainea ilicifolia mihi Cent. nr. 352. eadem est atque Hookeri Dunal Prodr. XIII. p. 676. Nec figura Hookeri in opere Gayi V. p. 99, nec Prodromus citantur. Differentias inter hanc et *D. spinosam* R. et P. l. c. exposui. Cl. Grisebach quidem Abh. d. kön. Ges. Wiss. Götting. vol. VI. ait: „einzige Art, die in isoklimatischen Regionen die Anden von ganz Südamerika bewohnt“; sed in hoc valde erravit. Quis enim mortalium unquam Desfontaineam inter Peruviam et Araucaniam invenit?

973. Sorema literalis? Miers.

Specimen prope „los Molles“ in prov. Aconcagua lectum a descriptione in opere Gayi data recedit. Folia radicalia minime cordato-ovalia, sed ovato-oblonga, in petiolum attenuata, petiolo 7 lin. longo, lamina 10—12 lin. longa, 7 lin. lata. Nuces paucae, 7, non 16.

974. Sorema petiolata Ph. S. prostrata, glabra; *foliis omnibus*, etiam caulinis superioribus *petiolatis*, e triangulari-orbicularibus, obtusis aut rotundatis, superioribus geminis, altero minore, paullo brevius petiolato; pedunculis axillaribus, folium subaequantibus, corolla ampla, campanulata, caerulea, tubo albo.

Prope Corral crescit. — Folii radicalis petiolus 9 lin. longus, lamina 10 lin. longa, 8 lin. lata; in parte superiore caulis folio majori petiolus 7 lin. longus; lamina 8 lin. longa, 7 1/2 lin. lata; folio minori petiolus 4 lin. longus, lamina 5 1/2 lin. longa, 5 lin. lata; *neutrum basi decurrit*; et lamina

satis abrupte in petiolum abit. Calyx 5-lin. longus, corolla 9 lin. longa. Fructus non adsunt. — Folio utroque petiolato; nentro decurrente, a *S. paradoxo* et *littorali* satis distinctum videtur.

975. Aplocarya (melius *Haplocarya*) **divaricata** Lindl. Cum descriptio Lindleyana (saltem qualis in opp. DeCandollei et Gayi apparet) nimis brevis sit, specimen a Volckmannio prope Chañaral lectum describere liceat. Planta glaberrima. Rami vetustiores $1\,^3/_4$ lin. crassi, cortice albo, laevissimo vestita; juniores erecti, (haud divaricati) conferti. Folia confertissima, carnosa, lineari-spathulata, vel potius clavato-cylindrica, retusa, 4 lin. longa, apice inflato fere 1 lin. crassa. Flores satis numerosi, solitarii, pedunculo $2\,^1/_2$ — 3-lineari insidentes. Calyx in flore turbinatus, quinquefidus, laciniis angustis, 2 lin. longus. Corolla parva, infundibuliformis potius quam campanulata, vix ultra 3 lin. longa, fere ad medium partita, laciniis ut videtur satis angustis; tubus intus inferius barbatus usque ad originem staminum, quae paullo infra fauces nascuntur, et basi squamula barbata aut fasciculo pilorum stipata sunt. Filamenta cylindrica, laciniis corollae paullo breviores; antherae .... Calyx fructifer patens, diametri 4 linearum, laciniis late triangularibus. Drupae 5, globosae, diametri $1\,^1/_4$ lin., disco carnoso quinquedentato cinctae; monospermae, basi potius clausae.

976. Alibrexia (rectius *Halibrexia*) **brevifolia** Ph. H. caulibus villoso-tomentosis, foliis teretibus, *lineari-spathulatis*, villosis; floribus axillaribus *breve* pedunculatis; dentibus calycinis acutis; corolla calycem fere bis aequante.

Prope los Molles in prov. Acoucagua a Landbeckio reperta est. — Fruticis truncus fere pollicem crassus; ramosissimus, decumbens, scopulos maritimos per magnam extensionem obtegens, villis longiusculis obtectus. Folia 4 lin.

longa, fere lineam crassa; satis viridia. Petioli modo $^1/_2$ lin. longi. Calyx plerumque violacescens, $3^1/_2$ lin. longus. Corolla alba, $5^1/_4$ lin. longa; diam. limbi expansi 4 lin. Fructus non adsunt, sed forma corollae de genere dubitare non licet. — Facillime ab *H. rupicola* Miers: foliis brevibus, tomento longe diverso tectis, magis viridibus, pedunculisque brevibus (in *H. rupicola* pedunculi graciles, 7 lin. longi) distinguitur. *H. tomentosa* ejusdem, mihi ignota, tomento aurantiaco calycem obtegente a nostra discrepat, quae ab *H. villosa* mihi flor. Atac. dentibus calycinis acutis et corolla multo majore statim dignoscitur.

977. **Digitalis purpurea** L. Jam prope Ancud, oppidum Chiloë insulae, spontanea facta est.

977. **Ourisia alpina** Poepp. var.? Ou. foliis longe vel breviter petiolatis, ovatis, cordatis, bicrenatis, glabris, petiolo villoso; scapo plerumque quadrifloro; pedicellis flores aequantibus; laciniis calycinis glaberrimis, linearibus, acutis, vel obtusis; tubo corollae recto, calycem bis aequante, limbi laciniis emarginatis, inferioribus tubum subaequantibus; staminibus inclusis.

Loco dicto „Meneses“ in prov. Talea ad c. 2200 metr. s. m. legit cru. H. Volckmann. — Specimina minora 3 poll., majora 9 poll. longa. Planta praeter petiolos hirsutos fere glaberrima; pedicelli tamen et corolla nonnunquam pilo uno alterove brevi, glanduloso obsiti. Petioli jam modo 9 lin., jam 2 poll. longi; folia majora 12 lin. longa, 9—10 lin. lata; dentes utrinque circiter 7, saepe bicrenati. Folia floralia oblongo-ovata, $3^1/_2$ lin. lata, utrinque 3-dentata. Pedicelli plerumque 7—8, raro 10 lin. longi, erecti. Calyx $2^1/_2$—3 lin.; corolla pulchre coccinea c. 10 lin. longa; tubus ejus 5 lin. Stamina minora $3^1/_2$, majora $4^1/_2$, stylus 5 lin. —

Differt ab *Ou. racemosa* Clos: tubo corollae haud incurvo; laciniis longis, staminibus brevibus, foliis crenatis; a *Poeppigii* Benth. quae ex descriptione vix a *racemosa* discrepat: iisdem notis, ab *Ou. Pearcii* mihi: glabritie staminibusque brevibus, ab *alpina* Poepp.: glabritie foliorum, laciniis calycis saepe *obtusis*.

978. Ourisia Pearcei Ph. Ou. humilis, pilosa; foliis ovatis, bicrenatis; racemi subquadriflori pedicellis dimidium florem aequantibus; laciniis calycinis linearibus, vix ciliolatis; tubo corollae calycem bis aequante, recto, limbo valde obliquo.

Inter Corral et ostium fluminis Riobueno legit ornat. Pearce. — Specimen quod suppetit 5 poll. altum. Folia radicalia 14 lin. longa, 10—12 lin. lata, petiolo 7—11 lin. longo, villoso insidentia, basi cordata, supra hirsuta, subtus in nervis dense villosa. Bracteae ovatae, profunde crenatae, subincisae. Pedicelli singuli nec bini in quovis verticillo (an casu?), 6 lin. longi, glutinoso-hirsuti, crassiusculi, erecti. Calyx $3^1/_2$ lin. longus; corollae coccineae pars superior $8^1/_2$, inferior 10 lin. longa, limbus erectus. Stamina $^2/_3$ corollae aequant s. fere usque ad fauces porriguntur. — Differt ab *O. alpina* Poepp.: pedunculis brevibus, dense villosis; foliis supra hirsutis nec glabriusculis; floribus majoribus; staminibus longioribus etc., ab *O. racemosa*: eadem brevitate pedicellorum, hirsutie, staminibus inclusis etc.

979. Ourisia Rancoana Ph. Ou. humilis, hirsuta; foliis ovatis, bicrenatis; racemi subquadriflori glabri pedicellis florem aequantibus; laciniis calycinis lanceolatis; corollae latae, subinfundibuliformis tubo calycem aegre bis aequante.

In Andibus „de Ranco" dictis prov. Valdiviae in elevatione c. 4500 pedum repperit orn. Pearce. — Caulis tripollicaris,

Fòlia 9—10 lin. longa, 7—8 lin. lata, petiolo 5—6 lin. longo insidentia, supra glabra, subtus in nervis dense hirsuta: Bracteae, sicut totus racemus, glabrae, ovato-cuneatae, incìso-crenatae. Pedicelli $4^1/_2$—$5^1/_2$ lin. longi, tenues, erecti. Calyx $2^1/_2$ lin. longus. Corolla coccinea, $6^1/_2$ lin. longa; stamina inclusa, majora vix fauces aequantia. — An potius pro varietate *Ou. alpinae* habenda? Differt pedicellis longe brevioribus, florem aegre aequantibus, nec eo duplo longioribus; corolla minore, tubo ejus vero amplioré; laciniis calycinis latioribus.

981. **Ourisia fragrans** Ph. Ou. humilis, pilosa, caule adscendente, foliato, 2—6-floro; foliis breviter petiolatis, ovatis, grosse crenatis, floralibus sessilibus; calycis dense hirsuti segmentis ter quartam partem tubi corollae aequantibus.

„Cordillera de Ranco“ ad 5500 ped. s. m. in fissuris rupium madidarum; fragrans.“ Pearce. — Tota planta tripollicaris. Folia rosulata radicalia nulla, sed caulina inferiora magis conferta; haec petiolo 6 lin. longo insidentia, 8 lin. longa, basi haud truncata, dentibus latis circa 3 utrinque; caulina sensim brevius petiolata et minora, denique sessilia integerrima. Verticilli florum tres. Calyx 4—$4^1/_2$ lin. longus, usque ad $^2/_3$ fissus. Tubus corollae $5^1/_2$ lin. longus, glaberrimus; diameter limbi fere 6 lin.; laciniae ejus subaequales; color secundum Pearce lilacinus. — Ex descriptione huic nostrae *Ou. breviflora* Benth. similis, cui tamen folia inferiora longe petiolata, basi truncata, tubus corollae calyce subbrevior, et lobulus inferior tubo longior tribuuntur.

982. **Ou. Dimzi** Ph. Ou. *glabra*, ramosa; caule prostrato; fòliis minutis, ovatis, integris, *crassis*, sessilibus imbricatis; floribus 1—2 terminalibus; calycis laciniis oblongis,

puberulis, vix quartam partem tubi corollae aequantibus; staminibus fauces corollae attingentibus.

In montibus „Tinguiguirica" invenit Januario 1861 orn. Wenc. Diaz. — Suffrutex ramosissimus. Ramuli 2—3-pollicares. Folia modo $1\,^1/_4$ lin. longa, $^3/_4$ lin. lata. Pedicelli vix 1 lin. longi; calyx fere 2 lin. longus; corollae 10 lin. longae tubus (ex sicca) aurantiacus; limbus intus coccineus, laciniis suborbiculatis integerrimis. — *Ou. polyantha* Poepp. sic distinguitur: suffruticosa, ramosissima, ramis decumbentibus, puberulis; foliis ovatis, integerrimis, sessilibus, *membranaceis*, *patulis*, *usque ad* $3\,^1/_2$ *lin. longis*; floribus 1—3 terminalibus; pedicellis calycem aequantibus; tubo corollae puberulae elongato, calycem fere quater aequante; staminibus faucem attingentibus.

983. **Mimulus Pissisi** Ph. M. glaberrimus; caule repente, brevissimo, stolonifero; foliis confertis, sessilibus, triangulari-ovatis, laciniato-dentatis, dentibus iterum dentatis; flore terminali (unico?) subsessili; calycis dentibus latis; corolla magna, lutea, unicolore, calycem ter aequante; stylo corollam subaequante. Ann. Univ. Chil. 1861. p. 57.

Prope „Huanta" 1373 metr. s. m. in prov. Coquimbo legit orn. Volckmann. — Specimina quatuor vidi; in omnibus caulis vix pollicem altus, sed stoloniferus; foliis densissime obtectus. Folia $7\,^1/_2$ lin. longa, 6 lin. lata, profunde incisa, dentibus subtridentatis utrinque 3—5, jam unicolora, jam nigro-maculata. Calyx $4\,^1/_2$ lin. longus, corolla 13 lin. longa. — Habitus *M. depressi* mihi e deserto Atacamensi, sed flores duplo majores magnitudine ut in *M. luteo*, a quo, praeter habitum, stylo elongato, corollam subaequante differt; etiam stamina valde elongata.

984. **Euphrasia spectabilis** Ph. Ann. Univ. Chil. 1861. 1. p. 66. Eu. ubescens; foliis crassiusculis trifidis; floribus

albis; magnis; paucis, ad apicem ramorum fasciculato-congestis; calyce campanulato circa 6 lin. longo; corollae 12 lin. longae, pubescentis tubo basi gracili; labiis elongatis; laciniis omnibus emarginatis; stylo staminibus longiore, labium superius subaequante. Ann. Univ. Chil. 1861. p. 66.

In Andibus „de Chillan" dictis invenit orn. Poarce; postea etiam ipse legi. — Planta 5—6 poll. alta, multicaulis. Folia circa 5 lin. longa. Flores 4 — 8 in apice caulium; labium inferius 4 lin., superius fere 5 lin. longum. — Caule pubescente lobisque corollae emarginatis cum *Eu. trifida* Poepp. convenit, a qua: corolla majore, stylo elongato, caule robustiore discrepat; ab *Eu. andicola* Benth.: lobis corollae emarginatis neque integris, tuboque minus amplo discriminatur.

985. **Euphrasia chrysantha** Ph. Ann. Univ. Chil. 1861. 1. p. 66. Eu. vix puberula; foliis crassiusculis, tripartitis, laciniis lineari-lanceolatis; floribus magnis, luteis, ad apicem ramorum subfasciculatis; calyce campanulato 5 lin. longo; corollae 11 lin. longae extus pubescentis lobis *elongatis integris*; stylo staminibus longiore, labium superius subaequante. Ann. Univ. Chil. 1861. p. 66.

Cum priore lecta est. — Folia, ut videtur, profundius tripartita quam in reliquis, 4 lin. longa. — Cum *Eu. andicola* Benth. lobis corollae integris, styloque elongato convenit, sed corolla extus pubescente lutea labioque inferiore *profunde* trilobo differt. (In *andicola* lobi ejus brevissimi sunt.) Qualis color est floribus *Eu. andicolae?* In descriptione apud Gay de hac nota altum silentium sicut in prodromo DeCand. specimen meum decolor est.

986. **Euphrasia picta** Ph. Eu. caule ramoso, puberulo; foliis tripartitis, laciniis angustis, margine revolutis; floribus subcapitatis; calyce campanulato; tubo corollae versicoloris

calycem et limbum suum bis aequante; lobis emarginatis; stylo stamina aequante.

Prope „Copiulemu“ in prov. Maule s. Concepcion legit orn. Volckmann. — Planta tripollicaris, ut videtur annua. Caules atropurpurei. Folia fere omnia internodium suum superantia, 3¼ lin. longa. Calyx 3¼ lin. longus, glaberrimus; dentes ejus dimidium tubum aegre superant. Corolla extus puberula; tubus et basis labii inferioris laete citrini, lobi labii inferioris et labium superius intense rosei. Antherae purpureae. — Quoad magnitudinem floris intermedia inter *Eu. trifidam* Poepp., cui corolla incluso labio superiore 8¼ lin. longa, et *Eu. meiantham* Clos, cui 5 lin. longa.

987. Schizanthus latifolius Ph. Sch. totus hispidus; foliis pinnatisectis, superioribus lyratis; summis *late ovatis*, integerrimis; calycis laciniis *spathulatis;* tubo corollae calyce breviore; labii superioris lacinia media rhombea, biloba; lacinia media inferiori bifida, ut in *Sch. pinnato.*

Prope Llico invenit orn. Landbeck. — Planta pedalis, a basi ramosissima. Folia inferiora, quae supersunt, 24 lin. longa, 10 lin. lata, lobis utrinque circiter sex, oblongis, paucised grosse-dentatis, rhachi angusta latioribus; superiora longe minus incisa, lyrata, v. gr. 10 lin. longa, 4 lin. lata, lobulis utrinque duobus parvis, terminali maximo, late ovato; omnibus integerrimis; suprema auriculata, imo integerrima, sessilia, late ovata. Pedicelli c. 4 lin. longi. Laciniae calycinae 3 lin.; corolla fere 8 lin. longa. Lobi labii superioris duo laterales utrinque late lineares, emarginati. Stamina calycem paullo superant, et stylo breviora sunt. — Species foliis supremis late ovatis integerrimis et calycis laciniis spathulatis distinctissima.

988. Schizanthus alpestris Poepp. var. *glandulifera.*

Prope „Baños del Toro“ in Andibus prov. Coquimbo in-

venit orn. Volckmann in elevat. 3276 metr. — Pili omnes glandula globulari nigra, sat magna terminantur; folia suprema integerrima sunt.

989. **Calceolaria Berterii?** Colla. C. fruticosa, glabra, glutinosa; foliis lanceolatis, basi angustatis, acutis, repando-dentatis, haud rugosis, supremis ovato-lanceolatis, integerrimis; floribus thyrsoideis; corollae labiis calycem circa bis aequantibus, inferiore paullo longiore, basi vix contracto, breviter aperto.

In praedio „Catemu“ prov. Aconcagua legi. — Frutex bipedalis, ramosissimus; cortex ramorum albidus, nitidus, facile secedens. Folia parva per totam longitudinem caulis sparse conferta, in axilla fasciculum foliorum gerentia, 11 lin. longa, $2^1/_2$ lin. lata, utrinque aeque acuminata, dentibus utrinque ad summum 8, coriacea, supra impresse reticulata sed non rugosa. Pedicelli fere 3 lin. Calyx $2^1/_4$ lin. Corolla sulfurea, labium inferius 5, superius 4 lin. longum. Stylus 4 lin. longus. — Memor. Acad. Taurin. ubi *C. Berterii* descripta inspicere nequeo, sed pro varietate *C. integrifoliae* plantam meam habere non possum; differt inflorescentia thyrsoidea, calyce majore, corolla minore, sulfurea.

990. **Calceolaria Landbecki** Ph. C. fruticosa, glaberrima, glutinosa; foliis in basi ramorum confertis, lanceolatis, basi in petiolum attenuatis, margine plus minusve dentatis; ramis superius nudis, bis racemos geminos emittentibus; racemis brevibus confertis; labio superiore corollae calycem bis, et $^2/_3$ labii inferioris aequante; labio inferiore suborbiculari, parum basi contracto, parum aperto.

In prov. Colchagua legit orn. Landbeck. — Rami fere pedales, pars nuda eorum 7—8-pollicaris. Folia 10 lin. longa, $3^1/_2 - 4^1/_2$ lin. lata; floralia 7 lin. longa, basi haud an-

gustata, bis bina; utrumque par pedunculum 1 — 1 1/2-pollicarem, nudum, sub lente glanduloso-puberulum emittit, quian quatuor umbellas terminatur. Ad originem umbellarum bracteolae 1 1/2-lineares; pedicelli 2 1/3 — 3 lin. longae. Calyx 1 1/3 — 1 1/2, corolla 4 1/2 lin. longa, lutea. — A *C. Meyeni* Ph. statim: glabritie et ramis haud dichotome divisis; a *C. glabrata* mihi: viscositate, pedicellis glandulosis, foliis ad basin ramorum numerosis confertis, pedicellis umbellatis, basi bracteatis differt. — Variat foliis fere integerrimis.

991. Calceolaria densifolia Ph. C. fruticosa, ramosissima, puberulo-hirtella; foliis ad basin ramorum confertissimis, parvis, lanceolatis, utrinque bi- vel tridentatis; ramis superius nudis, dichotome corymbosis; labio corollae superiore calycem multo superante, inferiore paullo majore, orbiculari, parum aperto.

In prov. Aconcagua leg. ornat. L. Landbeck. — Frutex 1 — 1 1/2-pedalis. Rami pallidissime fusci, epidermide facile secedente vestiti. Folia 5 lin. longa, 1 1/3 lin. lata, subsessilia, internodia aequantia, in axilla fasciculum foliorum foventia. Pars nuda ramorum 6 — 9-pollicaris, flava, vix uno alterove foliorum pare onusta. Pedunculi bini, usque ad dichotomiam bipollicares, unusquisque iterum dichotomus; pedicelli breves, modo 2 1/2 lin. longi; lobi calycini breves, rotundati, 1 1/4 lin. longi; labium corollae citrinae superius fere 3 lin., inferius 3 1/2 lin. longum.

992. Calceolaria oligantha Ph. C. herbacea, pubescens; caule simplici, humili, foliato, pauciflore; foliis radicalibus, oblongo-spathulatis, in petiolum longum attenuatis, grosse serrato-dentatis; caulinis oblongis, sessilibus, supremis ovato-oblongis, integerrimis; calyce labium corollae superius superante, labio inferiore obovato-oblongo, ad basin sensim contracto, late aperto.

In Andibus prov. Santiago occurrit. — Caulis 5—7-pollicaris; duo foliorum paria gerens. Folia radicalia majora $2^1/_2$ poll. longa, 9 lin. lata, dentibus utrinque circa 5; caulina inferiora $1^1/_2$ lin. longa, 5 lin. lata, pariter dentibus c. 5 utrinque armata; suprema 9 lin. longa, 4 lin. lata. Flores 2—7; pedicelli usque ad 10 lin. longi; calyx 2 lin., labium inferius 6 lin. longum.

993. **Calceolaria undulata** Benth., var.? Ann. Univ. Chil. 1861. C. herbacea, caule humili, glaberrimo, foliato; foliis inferioribus petiolatis, ovatis utrinque attenuatis, serrato-dentatis, petiolis nervisque subtus pubescentibus; foliis superioribus subsessilibus, subintegerrimis; pedunculis elongatis, gracilibus; corymbis 4—8-floris; pedicellis gracilibus; corollae labio superiore brevissimo, inferiore maximo, orbiculato, basi vix contracto, brevissime aperto.

Prope thermas „de Chillan" dictas legit ornat. Ric. Pearce. — Foliorum inferiorum paria 2 — 3 cum petiolo 3 poll. longa, 15 lin. lata, margine basali integerrimo, reliquo *serrato-dentata, haud undulata;* superiora ovata, nec lanceolata; caulis apice trichotomus, usque ad divisionem 5-pollicaris; pedunculi communes 5-pollicares, unico bracteārum pāre in mĕdio vestīti, apice fere umbellati; pedicelli graciles, circa 8 lin. longi; labium inferius diametri 8 lin. — Differt igitur a forma normali: foliis minime undulato-crispis, basi in petiolum attenuatis, superioribus latioribus, nec non corymbo pauciflоro.

994. **Calceolaria mendocina** Ph. Ann. Univ. Chil. 1862. 2. p. 404. C. herbacea, omnino pubescens; caule brevissimo, folioso; foliis ovatis brevipetiolatis, subintegerrimis; pedunculis uniflоris, scapiformibus, uno duobusve, folia bis aequantibus; labio superiore calycem aequante; inferiore magno, orbiculari, breviter aperto.

In latere mendocino Andium in transitu „Portillo de los Piuquenes“ invenit ornat. Wenc. Diaz. — Folia 12 lin. longa, 9 lin. lata, petiolo 5-lineari insidentia, margine vix undulata, circa 8. Pedunculi 2-pollicares; lobi calycini 1⅔ lin. longi; labium corollae inferius 7 lin. latum, modo 5 lin. longum. — Forma labii inferioris statim a *C. Forthergilli, Darwini* et *nana* distinguitur.

Calceolaria glandulosa Poepp. var. corollis basi purpureis, deinde aureis in prov. Aconcagua haud rara est. Nunquam hanc speciem corolla *candida* florentem vidi, uti secundum cl. Bentham prodr. X. p. 210 interdum occurrit.

995. **Calceolaria plantaginea** Sm. var. *C. obtusifolia* Kze. et Walp. — Specimina in Andibus prope Santiago lecta folia 4 poll. longa, 2 poll. lata, dentibus utrinque c. 7, 5—6 lineares longis armata ostendunt. Scapi 1—1½-pedales; rami dichotomiae 4-pollicares; pedicelli bini ex angulo dichotomiae orti demum 15 lin. longi; pedicelli ramorum dum florent 7—8 lin. longi; calyx tunc 2 lin. (in fructu 3½ lin.); labium inferius corollae 6 lin. longum, 5 lin. latum, capsulae 5—5½ lin. longae. — Cl. Clos apud Gay hist. Chil. bot. V. p. 184 huic varietati flores „parvos“ tribuit, sed dimensionem eheu! non indicat; flos diametri 6 lin. in genere *Calceolaria* parvus non est, neque in *C. plantaginea* genuina multum major est.

996. **Calceolaria Volckmanni** Ph. C. herbacea, pubescens, foliis plerisque radicalibus, ovato-oblongis, in petiolum brevem attenuatis, obscure repando-serratis; caule pancifolio, apice bifido; corymbo pauciflore, subumbellato; labio corollae superiore majusculo, calycem bis aequante, inferiore suborbiculari, perparum aperto; stylo elongato, stamina fere ter aequante.

In provincia Maule lectam accepi ab orn. Volckmann. — Folia membranacea, tenuia, subtus vix pallidiora, radicalia fere 3 poll. longa, 1 poll. lata, utrinque glanduloso-puberula, hirtella, margine ciliata; petiolus iis vix 4-linearis. Caulis 7 — 10 poll. altus, pilis patentibus, sat brevibus hirsutus, nuicum par foliorum gerit, quae radicalibus similia, sed sessilia sunt; alterum foliorum par vix 6 lin. longum superius ad caulis divisionem conspicitur. Ramus uterque $1\frac{1}{2}$—2 poll. longus, deinde bifidus, interjectis floribus duobus ex divisione ortis; ramulus uterque umbellatim subtrifloras. Pedicelli graciles, longius hirsuti. Lobi calycini $1\frac{1}{2}$ lin. longi, pilis glandulosis puberuli. Labium superius corollae $3\frac{1}{2}$ lin. latum, ultra 2 lin. longum; inferius $4\frac{1}{2}$ lin. longum, totidem latum, haud crenatum, haud punctatum. — Stylus $2\frac{1}{2}$ lin. longus. — *Calceolariae valdivianae* mihi proxima, sed folia *C. valdivianae* crassiora, rugosa, subtus albida, stylus brevis etc.

997. **Calceolaria pannosa** Ph. C. herbacea; foliis fere omnibus radicalibus, brevepetiolatis, ovalibus, serratis, canosericeis, crassis, pannosis; caule villosulo, nudo, apice in umbellam quadrifidam diviso; radiis iterum quadrifidis; corollae magnae labio superiore calycem vix aequante; inferiore orbiculato, inflato.

In Andibus prov. Colchaguae c. 5—7000 p. s. m. legit orn. L. Landbeck. — Caulis 6 — 12-pollicaris, foliorum minutorum, bracteaeformium paria 1—2 gerit. Folia radicalia decem et plura; majora petiolo 6-lineari insidentia, 2 poll. longa, pollicem lata, basi et apice acutiuscula, fere pannosa, pilis albis, confertis, appressis, crassiusculis obtecta, praesertim subtus incana, dentibus 10 — 12 utrinque armata. Ad basin inflorescentiae bracteolae conspiciuntur. Radii ejus glabriusculi, 12 — 15 lin. longi; calyx $1\frac{1}{2}$ lin. longus,

glanduloso-puberulus; corolla diametri 6 lin., glabra, citrina, immaculata. — Differt a *C. montana* Cav.: labio inferiore orbiculari, neque basi longiuscule contracto etc., a *C. corymbosa* R. et P.: labio inferiore haud punctato, inflorescentia minime trichotoma, corymbosa etc., a *C. paralia* Cav.: foliis floralibus minime cordatis, subconnatis, labio inferiore corollae orbiculari, neque obovato-elongato; a *C. valdiviana*: labio superiore corollae minuto etc.

998. **Statice chilensis** Ph. St. suffruticosa; foliis oblongo-spathulatis, longissime petiolatis, marginatis, venosis; pedunculo scapiformi bipedali, bracteis duabus infra inflorescentiam munito; panicula laxa, laevi; bracteis 3—4 florem cingentibus; corolla caerulea.

— In litore prope Huasco etc., ab incolis nomine *Guaicurú* pro remedio adstringente adhibetur (Dr. Schmitthenner). Pars caulis, quae suppetit, 3 poll. longa, 3 lin. crassa, lignosa, fusca, decumbens. Folia ex apice oriunda septem vel octo; 6 poll. longa, 8 lin. lata, sensim in petiolum attenuata, qui dimidiam vel bis tertiam folii partem occupat; parce pinnatinervia et margine cartilagineo munita sunt. Pedunculus scapiformis usque ad originem paniculae pedalis, modo lineam crassus, flaccidus, bracteas scariosas duas rufas, inferiorem 6 lin. longam gerit. Panicula 7—8-pollicaris; rami singuli incurvi, ultra medium nudi, sed medio bractea virescente, 2—3 lin. longa muniti; ramuli triquetri, a medio inde floriferi, ultimi circa 10-flori. Flores bracteis ternis quaternisve basi muniti. Bractea exterior centro viridis, margine alba, scariosa, late ovata, interiores omnino scariosae. Calyx $2^1/_2$ lin. longus; corolla nondum perfecte explicata 3 lin. longa pulchre caerulea.

Haec planta *Plegorrhiza Guaicuru* Molinae esse videtur.

999. Plantago macrantha Don var. *argophylla* Ph. Ann. Univ. Chil. 1861. Ph. caule fruticoso, basi foliorum persistente squamato; foliis confertis, exacte linearibus, *ad basin haud angustatis*, striatis, dense sericeis, argenteis; *pedunculis folia vix superantibus*, puberulis; spica brevi?, pauciflora; bracteis ovatis; calycibus late ovatis, margine latissime scariosis, bracteas bis aequantibus.

Prope thermas „de Chillan" dictas leg. orn. R. Pearce! — Basis caulis $2^1/_2$ lin. crassa, squamis appressis et inter eas pilis mollibus, argenteis dense vestita. Folia numerosa, fere 4 poll. longa, 2 lin. lata, apice obtusa. Pedunculi superne haud villosi.

Ad lacum Malvarco ornat. Germain varietatem *trichophyllam* legit, cui folia cinereo-argentea quidem sed longe hirsuta, brevia, pedunculique folio ter aequantes sunt.

1000. Plantago subtrinervis Ph. Ph. annua?, brevicaulis, polyphylla, polyantha; caule pilis longis villoso; foliis integerrimis, lineari-lanceolatis trinerviis, seu linearibus, uninerviis, villoso-sericeis; pedunculis folia superantibus, apice spicam oblongam, c. sexfloram gerentibus; calyce villoso; corollae lobis obtusis, capsula disperma.

Prope Quilimari in prov. Aconcagua leg. orn. L. Landbeck. — Radix simplicissima, elongata, pallide fusca. Caulis bipollicaris et major. Folia 3 poll. longa, 3 lin. lata, peracuta, nervus lateralis utrinque margini approximatus, in varietate vero $2^1/_2$ poll. longa, modo $1^1/_4$ lin. lata, nervis lateralibus haud distinguendis. Pedunculi plures, 4—8 poll. longi, spicam circa 8-linearem gerentes; bracteae inferiores $1^1/_2$ lin., calyx $2^1/_4$ lin. longus, capsula $2^1/_2$ lin. Folia calycina late ovata, extus medio villosa, linea viridi ornata, margine fere triplo latiore, scarioso, hyalino. Semina fere

2 lin. longa; valde marginata. — Spica fere ut in *Ph. callosa* Colla (ex Gay), quae mihi eadem ac *Ph. macrosperma* Stend. videtur, sed folia, caulis brevis, hirsuties etc. valde diversa.

Plantago lanceolata L. jam in prov. Valdivia variis in locis frequens inter plantas chilenses recipienda est.

Observ. *Boerhaaviam nudicaulem*, quam sub num. 380 in Centuriis descripsi, jam specimina meliora nactus nihil nisi *Adenocaulon chilense* esse comperi. Postea frequentem in prov. Valdivia inter Osorno et lacum Puycgue, et ad thermas „de Chillan" dictas inveni; ornat. Lechler in freto Magellanico legit.

1000 b. **Lenzia** Ph. novum Genus *Amarantacearum Aerveārum*. Involucrum diphyllum, scariosum, hyalinum. Calyx monophyllus, tubulosus, hyalinus, quinquepartitus, laciniis lanceolatis. Stamina quinque, basi calycis inserta, lobisque ejus opposita; filamenta filiformia; anthera linearis, basi sagittata, infra medium dorsi affixa, biloculāris, longitudinaliter dehiscens, introrsa. Ovarium liberum, ovatum. Stylus unus, erectus, filiformis, longitudine staminum; stigma capitatum, trilobum. Fructus utriculus.

Dixi in honorem Haraldi Othmari Lenz, de historia naturali inprimis germanica bene meriti. Unica species: *Lenzia Chamaepitys* Ph., ab orn. Volckmann in Andibus de „Doña Ana" dictis prov. Coquimbo in altitudine 4200 metr. detecta est. Plantula perennis, glaberrima; pini cujusdam rami apici similis. Radix elongata, fusca, multiceps, $^2/_3$ lin. crassa. Caulis brevissimus, subnullus, caespitosus. Folia confertissima, erecta, crassiuscula, enervia, apice subito acuminata, fere aristata, superiora majora, margine hyalina; majora 6 lin. longa, 1 lin. lata. Stipulae nullae. Flores in apice caulis aggregati, axillares, sessiles, occulti. Folia

In Andibus prov. Santiago crescit. — Caulis bipedalis. Species simillima *S. spicato* Cav. Icon. t. 104. quod synonymon *S. striati* Smith dicitur, sed facile distinguitur: foliis exquisite *nervosis*, cum folia *S. spicati* „enervia“ sint.

1047. Sisyrinchium flexuosum Ph. S. caule compresso, foliaceo, gracili, flexuoso; foliis lineari-ensiformibus, acutis, nervoso-striatis $3\frac{1}{2}$ lin. latis; floribus spicatis; spathis ovatis, inflatis, 4 — 5-floris; floribus minutis, albidis; ovario villoso.

In montosis prov. Santiago et Aconcagua legi. — Caulis $1\frac{1}{2}$-pedalis, basi $1\frac{1}{2}$ lin. crassus, etiam spathis puberulus. Folia inferiora caulina 6 poll. longa, mediana modo $1\frac{1}{2}$ poll. longa. Spathae 3 — 6 in quovis caule; folium exterius earum obtusum, margine vix scariosum, interiora fere omnino scariosa. Flores exserti; laciniae perigonii circa $3\frac{1}{2}$ lin. longae. Columna antherarum ....

A *S. striato* Sm. seu *spicato* Cav. nec non a *nervoso* mihi statim: foliis angustioribus, floribus minoribus, ab *iridifolio* Kth. apud Gay: foliis brevibus, spathis plurjbus neque unica terminali, ab *adenostemone* mihi Cent. 431.: caule ancipite, foliis latioribus, perigonio albido differt etc.

1048. Sisyrinchium Pearcei Ph. S. caule ancipite, foliato, *simplici*; foliis ensiformibus, caule *brevioribus*, sub lente margine scabris; spathis terminalibus, 1 — 2, glabris; laciniis perigonii lutei $6\frac{1}{2}$ lin. longis.

In Andibus prov. Valdiviae ad vulcanum „de Osorno“ dictum ipse legi, in transitu Audium „de Ranco“ dicto orn. Ric. Pearce. — Folia radicalia 6—7 poll. longa, $2\frac{1}{3}$ lin. lata. Caulis 9 — 10 poll. altus, valde anceps folia 3 — 4 gerit, quae sensim minora, supremum spathaeforme. Spatha ovato-lanceolata, 8 lin. longa, herbacea, 5-flora; pedicelli crassiusculi, spatha parum longiores. Ovarium glanduloso-villosum, sed capsula demum glabra. Perigonium extus glaberrimum. Filamentorum fabricam in specim. siccis eruere non possum. — An *S. iridifolium* Kth.? brevis diagnosis satis quadrat, sed non descriptio.

1049. Sisyrinchium asperulum Ph. S. *caule* simplicissimo tereti, cum foliis teretibus sulcato, *basi pilis brevibus patentibus asperulo;* spatha inferiore longe producta, caulem continuante; pedicellis capillaribus bracteas longe superantibus; ovario villoso; perigonii rosei laciniis cuspidatis.

Prope „Yaquil“ in prov. Colchagua Septembri florentem legi. — Radix e fibris crassis, albidis, numerosis formatur. Caulis cum spatha enm continuante 12 — 15-pollicaris, basi $\frac{3}{4}$ lin. crassus, profunde sulcatus, basi, sicut pars inferior foliorum, setis brevissimis sub angulo recto patentibus asperulus. Folia 2 — 3, pariter sulcata, infimum ad vaginam rufo-fuscam $1\frac{1}{2}$ — $2\frac{1}{2}$ poll. reductum, ultimum $\frac{3}{4}$ caulis aequans, fere ejusdem crassitiei. Spatha inferior caulem continuans usque ad 5 poll. longa; deinde caulis geniculatus, c. 3 lin. longus spatha altera, lanceolata, cuspidata, 11 lin. longa terminatur. Flores 8 et ultra. Pedicelli usque ad 15 lin. longi; laciniae perigonii 5 lin. Columna filamentorum glaberrima, cylindrica, basi paullo crassior. — Differt a *S. depauperato*, quocum pedicellis elongatis, gracilibus et habitu convenit: caule valde sulcato et aspero; et a *S. scabro*,

cui caulis pariter asper: caule longe tenuiore, in parte superiore laevi, spatha longe magis elongata, ovario villoso etc.

1050. Sisyrinchium colchaguense Ph. S. caule stricto, tereti, laevi, glaberrimo, basi vaginis foliorum fibrisque stipato; foliis linearibus subfistulosis, laevibus, glaberrimis; spathae folio exteriore elongato; pedunculis pseudo-lateralibus spathas reliquas aequantibus; floribus roseis; ovario glaberrimo; columna antherarum ....

E prov. Colchagua attulit orn. Landbeck. — Caulis 1—1 1/2-pedalis, basi vix ultra 1 lin. crassus; foliis 7—8 poll. longis, crassitie caulis; spathae foliolum exterius 2 1/2—3-pollicare. Flores circa 10; pedicelli 12—16 lin. longi; foliola perigonii ut videtur omnia quinquenervia. — *S. scirpeum* mihi: caule duplo crassiore, spathis multis, ovario villoso, pedunculis longe exsertis; *S. depauperatum* mihi: foliis cauleque filiformibus, flaccidis, spatha pauciflora; *S. floribundum* mihi: spathis 3—4 ex communi nascentibus, caule sub spatha scabro, ovario puberulo; *S. scabrum* et *asperulum* mihi: caule foliisque scabris; *S. gracile*: spatha pauciflora, pedunculis exsertis, ovario villoso; *S. strictum* mihi: ovario dense villoso etc.; *S. roseum* mihi: ovario dense villoso, floribus multo majoribus etc. differunt. Quid sit *S. junceum* Meyer e brevi descriptione secundum specimen fructiferum floribus carens in Reliquiis Haenkeanis data ex mea sententia nunquam cruetur, neque ex descriptione longissima *S. juncei* Gayi plantam cognoscere possum, cum characteres distinctivos v. gr. ovarium glabrum aut villosum, asperitatem aut laevitatem caulis omiserit, ut speciem albifloram cum rosea confundissime videatur si ex synonymis judicare licet.

1051. Epipetrum Ph. *) novum genus *Dioscorinarum.*

*) *Επιπετρον*, nomen plantae nobis jam incognitae.

Ann. Univ. Chil. 1862. p. 62. Flores masculi hypogyni, rudimento magno, cyliudraceo pistilli. Capsula haud alata; *semina* in quovis loculo bina, *subglobosa*, *haud alata*. Caetera ut in *Dioscorea*. — Species unica est.

Epipetrum humile (*Dioscorea humilis* Bertero et Colla, *Luzuriaga cordata* Bertero in schedula speciminis Musaei Santiagini). — Descriptioni eorum ut videtur a cl. Gay vol. VI. p. 55. pauca addenda. Folia exquisite reticulata. Pedunculi foeminei post foecundationem spiraliter contorti, in terram penetrant, ibique capsulam maturant. Capsula (nondum bene matura) globoso-trigona, diametri $2\,^1/_2$ lin., purpurascens, haud alata, sed in dorso cujusvis loculi linea elevata ornata. Semina bina in quovis loculo, subglobosa, absque ullo alarum vestigio, alba. Ann. Univ. Chil. 1862. 2. p. 448.

1052. **Dioscorea bryoniaefolia** Poepp. — Radix in specimine prope „los Molles“ ab orn. Landbeck lecto haud tuberosa, sed cylindrica, 4—5 lin. crassa, elongata. Capsula cuneato-obcordata, 7 lin. longa, totidem lata. Semen cum ala $3\,^1/_2$ lin. longum.

1053. **Dioscorea longifolia** Ph. D. humifusa, volubilis, glabra; foliis omnibus lanceolato-linearibus, basi deltoideis, trinerviis; racemis florum ♂ folio brevioribus; floribus solitariis ternisve, breviter pedicellatis; laciniis perigonii rotacei obtusis; filamentis brevissimis.

Unicum specimen in valle flum. Mapocho ad introitum Andium legi. — Folia inferiora petiolo sesquipollicari insidentia, $4\,^1/_2$ poll. longa, basi $5\,^1/_2$ lin. lata; superioribus petiolus 3-linearis, lamina 16 lin. longa, $1\,^1/_2$ lin lata; basis foliorum inferiorum breviter triangularis, superiorum rotundata, subtruncata. Racemi florum ♂ fere usque ad medium nudi; bracteae subulatae, inferiores florem aequantes, supe-

riores minimae. Diameter floris 1 2/3 lin. — Planta ♀ mihi nondum innotuit. — A *D. lineari* Bert. et Colla et *D. arenaria* Kth., quae pariter foliis angustis, linearibus insignes, nostra foliis longe majoribus trinerviis discrepat, a planta, quam pro *D. saxatili* Poepp. habeo: foliis nunquam basi quinquenerviis nec cordatis etc. distincta est.

1054. **Dioscorea oligophylla** Ph. D. glabra; caule humifuso, vix 6—8-pollicari; foliis crassis, paucis, 3 — 4, reliquis jam in bracteas abeuntibus, 7 — 9-nerviis, breviter petiolatis, basi *truncatis*, *cuneatisve*, inferioribus ovatis, latis, mucronatis, sequentibus sessilibus, acuminatis; paniculа florum ♂ simpliciter ramosa, ampla; floribus sessilibus ternis rotaceis, diametri 2 lin.; florum ♀ racemis subsimplicibus; floribus solitariis.

In ramo Andium, „Cuesta de Chacabuco“ dicto, nec non in prov. Santiago in „la Dehesa“ legi. — Folia inferiora 15 lin. longa, 13 lin. lata; petiolo 8 lin. longo insidentia; paniculae florum ♂ ramus inferior 3 poll. longus, racemus florum ♀ 3 poll. longus; ovarium 1 3/4 lin. longum. Capsula diametri 6 1/2 lin.; bracteae 1 1/2 lin. longae. Foliis crassis et floribus sat magnis cum *D. nana* Poepp. convenit, sed foliis minime cordatis, inflorescentia elongata, caulibus magis elongatis, margine foliorum integerrimo, bracteis ad basin ramorum inferiorum paniculae foliiformibus satis differre videtur. Nihil gracile habet.

1055. **Dioscorea Volckmanni** Ph. Anu. Univ. Chil. 1862. p. 62. — D. humilis, humifusa, glaberrima; foliis coriaceis, 7-, 9-, 11-nerviis, latis, cordatis, saepe sublobatis, acuminatis; paniculis axillaribus, petiolum subaequantibus; floribus subsessilibus, masculis hexandris.

Loco „Tres Cruces“ in prov. Talca ad c. 2100 metr. s. m. leg. orn. Herm. Volckmann. — Specimina 8 vidi,

maximum quadripollicare; caulis ad summum hexaphyllus Folia vix reticulata vocanda, marginata, majora petiolo $2^1/_2$-pollicari insident, et cum auriculis 2 poll. longa et $2^1/_2$ poll. lata sunt; in his nervos 13 numero, sed quatuor utrinque e basi communi oriuntur; folia minora nervos 7 — 9 ostendunt, ramis exterioribus in majoribus obviis, sc. hic minus conspicuis et obsoletis; in his quoque petiolus brevior, laminam vix aequans. Jam folium integerrimum, vix aliquantulum sinuatum, jam dentes majores 1 — 4 utrinque ostendit; apex acuminatus, mucronatus. Paniculae ♂ ad summum 21 lin. longae, duae vel tres in quavis planta; bracteae lineares, florem subaequantes; flores breviter pedicellati, imo sessiles, turbinati, extus basi virides, margine et apice purpurascentes, albo-limbati, intus purpurascentes, albo-limbati, diam. 2 lin. Stamina sex brevissima, basi laciniarum perigonii inserta. Flores feminei pauciores, masculis similes; stigmata tria, basi in stylum brevissimum unita. Capsula immatura jam diam. $2^1/_2$ lin. ostendit, orbicularis, subacuminata. — Species habitu *D. nanae, oligophyllae*, cum nulla alia chilensi confundi potest.

1056. Dioscorea modesta Ph. D. glaberrima, humifusa; foliis crassiusculis, cordatis, mucronatis, inferioribus suborbicularibus, longe petiolatis, 7-nerviis, superioribus breve petiolatis, oblongo-ovatis, quinquenerviis; spicarum ♂ folia longe superantium floribus remotis, plerumque geminis, subsessilibus, rotaceis, diametri 2 lin.

Prope „Curanipe“ invenit orn. Volckmann. — Specimina, quae suppetunt, modo 4 poll. longa. Folia inferiora petiolo 15 lin. longo insidentia, $6^1/_2$ lin. longa, 6 lin. lata, alia 10 lin. longa, 11 lin. lata; superiora petiolo $2^1/_3$ lin. longo insidentia, 6 lin. longa, modo 3 lin. lata. Pedunculi $3^1/_2$ poll. longi, usque ad medium nudi, fasciculis florum c.

6 onusti. Stamina vix dimidium perigonium aequant. — Alia specimina 9 lin. longa, apice volubilia, a basi ramosa fere aphylla sunt; nam basi modo folia 2 ad 5, crassa, petiolo $2^1/_2$ lin. longo insidentia; vix 3 lin. longa, $1^1/_2$ lin. lata; superiora vix 2 lin. longa, rudimentaria sunt, nervis vix conspicuis. Contra paniculae usque ad $3^1/_2$ poll. longae, jam a quarta vel tertia parte inde floriferae, fasciculis c. 12 florum paullo minorum compositae; an alia species? — Differt nostra a *D. humifusa* Poepp. foliis crassioribus paucioribus, superioribus quinquenerviis, oblongis, floribus majoribus; a *D. Bridgesii* Griseb. floribus sessilibus; a *D. variifolia* Bert., quam florum dimensione fere aequat, foliis paucis, superioribus modo quinquenerviis, formae alienae, haud triangularibus.

1057. **Dioscorea parviflora** Ph.: D. volubilis; foliis oblongis, basi cordatis, a basi inde sensim attenuatis, septemnerviis, nervis extimis brevissimis; racemis masculis folium aequantibus, laxifloris; floribus subternis, inferioribus pedicellatis, superioribus sessilibus, minutis, turbinatis; flor. ♀....

Ad radicem Andium prov. Colchaguae invenit cm. Landbeck. — Folia inferiora, quae adsunt, petiolo filiformi, 7 lin. longo insidentia, cum auriculis 21 lin. longa (nervus medianus 19 lin. longus), 7 lin. lata, tenuia, nervulis transversis frequentibus reticulata; nervi extimi brevissimi, sequentes vix tertiam longitudinis partem attingunt. Racemi seu potius spicae ♂ circa 30 lin. longi, circiter 12 fasciculos florum gerunt. Flores lutescentes, margo laciniarum late albus; longit. eorum vix $^3/_4$ lin. — Floribus minutis quidem cum *D. humifusa* Poepp., *Bridgesii* Gris. etc. convenit, sed foliorum forma valde aliena, et unice aliquam similitudinem cum *D. acutifolia* mihi ostendit, a qua vero lobis basalibus foliorum minime divergentibus, nec truncatis, sed bene rotundatis; in

marginem lateralem absque ullo limite transeuntibus facile distinguitur.

1058. **Dioscorea stenocolpus** *) Ph. D. volubilis; foliis ovato-oblongis, acuminatis, cordatis, 7—9-nerviis; *lobis rotundatis, sinu angustissimo separatis;* nervis longitudinalibus 7, valde prominentibus, transversis raris, distantibus; floribus masculis ....; spicis femineis axillaribus brevibus; perigonio minuto; capsulis suborbicularibus parum emarginatis.

Prope „Vichuquen" in regione litorali prov. Colchagua specimen legit orn. Landbeck. — Folia omnia, ut videtur, similia, majora petiolo 14 lin. longo insidentia, 3 poll. longa (sed nervus medianus modo 28 lin.); 20 lin. lata; margines laterales perfecte rectilinei; lobi bene rotundati, sed sinus interlobos vix 1 lin. latus, qua nota primo adspectu ab omnibus D. chilensibus differunt; structura neque tam tenuis quam in *D. Besseriana* Kth., neque tam crassa quam in *D. oligophylla, Volckmanni* mihi etc. Spicae ♀ non ultra 1 1/2 poll. longae, neque ultra 10-florae. Capsulae sessiles, diametri fere 4 lin.; diametro corollae emarcidae persistentis modo 1 lin.

1059. **Habranthus mendocinus** Ph. Ann. Univ. Chil. 1862. H. foliis scapum subaequantibus, 3 lin. latis; spathâ polyphylla, elongata, triflora; floribus breviter pedunculatis, luteis, apice roseis, 18 lin. longis; membrana faucium barbata; stylo 2/3 sepalorum aequante. Ann. Univ. Chil. 1862. 2. p. 406.

In prov. „Mendoza" loco „Guadal" dicto in arenosis vere florentem invenit ornat. W. Diaz. — Scapus 9-pollicaris, vix 1 1/2 lin. crassus; spatha bifolia, 18—21 lin. longa, alba;

---

*) στενός, angustus, κόλπος sinus.

scariosa, foliola minora fovens. Pedunculi modo 5, modo 11 lin. longi; ovarium $3\,^1/_2$ lin. longum. Tubus perigonii usque ad annulum fimbriatum, ex quo stamina oriuntur, 2 lin. longus; filamenta vix inaequalia, circa 8 lin. longa; antherae $4\,^1/_2$ lin. — Ab *H. chilensi* umbella triflora, foliis latioribus, et tempore florendi differt. (*H. chilensis*, quam sub finem Februarii et initio Martii, autumno, florentem prope Tomé, Chillan. etc. inveni, folia $^3/_4$ lin. lata habet.)

1060. **Rhodophiala Volckmanni** Ph. Rh. foliis $1\,^1/_3$ lin. latis; scapo ultra pedali, unifloro; pedicello spatham scariosam aequante, dimidio flore breviore; perigonio 2 poll. 4 lin. longo, suberecto, cinnabarino-coccineo, late infundibuliformi; staminibus subaequalibus, quadrante brevioribus; stylo recto, perigonium aequante.

Prope Colquecura in prov. Maule legit orn. Herm. Volckmann. — Bulbus solidus, oblongus, diam. 8 lin. Folia ultra pedem longa. Scapus infra spatham ruber. Spathae foliola duo exteriora purpurascentia, scariosa, obtusa, interiora paullo breviora, multo angustiora, tenuiora, hyalina. Perigonii foliola septemnervia, fere 6 lin. lata, tria apice rotundata, mucrone crasso terminata, tria apice retusa, imo subemarginata, mucrone multo breviore. Stamina adscendentia. Stylus in uno specimine adscendens, in altero (ob pressionem in desiccatione?) erectus; stigma integerrimum.

1061. **Placea lutea** Ph. Pl. floribus luteis, basi purpureo-venosis; paracorolla monophylla; carinis ejus apice libero filiformi terminatis.

In monte „Alto de Catemu“ dicto prov. Aconcaguae Septembri florentem legi. — Bulbus truncatus. Folia bina, scapum subaequantia, $1\,^1/_2$ lin. lata, medio tenuiora, margine obtuso crassiora, ut in *Pl. ornata* Miers. Scapus

glaucus usque ad 3 1/2 lin. crassus, 3 — 12-florus. Spathae marcescentes, diphyllae. Perigonium pulchre citrinum, ad aurantiacum vergens, c. 13 lin. longum. Paracorolla 6 lin. longa monophylla, purpurea, lutea, apice subeffusa; lobis brevissimis, sublaciniatis, carinis sex extus munita, quae apice libero, filiformi terminantur. Stamina tria longiora sepala subaequant, breviora paracorollam vix dimidio superant; filamenta rosea, apice lutea. Stylus staminibus multo longior, adscendens, roseus, in parte superiore flavus, stigmate incrassato terminatur.

1062. Alstroemeria crispata Ph. Cent. no. 449.

Specimina ab orn. Volckmann prope „Baños del Toro" in prov. Coquimbo lecta flores bene exhibuerunt. Pedunculi 9 lin. longi. Flores pulchre rosei; sepala majora reflexa, longe unguiculata, orbiculata, emarginata; unguis 3 1/2 lin. longus, lamina 5 lin. lata, 4 1/2 lin. longa, margine albida; apex purpureus; sepala media spathulata, truncata, mucronata, obscurius rosea (unguis 3 lin., lamina 3 1/2 lin. longa, 3 lin. lata); angustiora 7 1/2 lin. longa, 1 1/2 lin. lata; longe unguiculata, apice rhombea; lamina eorum basi purpureo-punctata, deinde lutea, a medio inde vero rosea. Capsulae globosae, diam. 4 lin.

1063. Alstroemeria venustula Ph. Ann. Univ. Chil. 1861. A. caule erecto, superius folioso; foliis glaucis, planis spathulatis, novemnerviis, confertis, margine et in nervis subtus dense ciliatis, involucrantibus conformibus, pedunculos 2 — 5 breves superantibus; perigonii foliolis extus puberulis, flavis, purpureo-punctatis.

In Andibus prov. Coquimbo, loco dicto „Quebrada escondida" invenit orn. Volckmann. — Pars aërea caulis vix bipollicaris, superius puberula. Folia oblongo-spathulata, 6 1/2

lin. longa, $3^1/_2$ lin. lata; involucrantia parum minora sed angustiora, nempe 5 lin. longa; $1^3/_4$ lin. lata. Pedunculi $1^1/_2$ —2 lin. longi, puberuli. Perigonii foliola exteriora $5^1/_4$ lin. longa, $1^2/_3$ lin. lata, ovata, basi valde attenuata, extus puberula et versus apicem viridia, intus flava, nigro-punctata; interiora corollina conformia, fere 7 lin. longa, $1^1/_3$—$1^1/_2$ lin. lata, flava, nigro-punctata. Filamenta perigonii foliola subaequant.; antherae cordatae, subglobosae. Stylus dimidiam filamentorum longitudinem aequat. — *A. andinae* mihi Cent. nr. 448 proxima, sed pubescentia, sepalis longe unguiculatis, punctatis, antheris globosis neque ovato-oblongis, filamentis longioribus facile distinguitur. — Variat sepalis interioribus apice violaceis.

1064. **Alstroemeria parvula** Ph. A. glabra, caule humili, ad apicem dense foliato; foliis subrosulatis, oblongo-spathulatis, nervosis; involucrantibus conformibus; floribus umbellatis, subquinis; pedicellis elongatis, folia involucralia aequantibus; foliolis perigonii roseis?, exterioribus obovatis, basi longe unguiculatis, apice crasso terminatis; interioribus angustioribus lineari-oblongis, apice pariter incrassatis; filamentis foliola perigonii aequantibus.

In Andibus prov. Santiago leg. orn. L. Landbeck, nec non prope Concumen in prov. Aconcagua. — Pars aërea caulis vix pollicaris. Folia 7 lin. longa, 2 lin. lata. Pedunculi 6 lin. longi. Foliola exteriora perigonii $10^1/_2$ lin. longa, $5^1/_2$ lin. lata, ungue 3 — $3^1/_2$ lin. longo; interiora lateralia 12 lin. longa, $2^1/_2$ lin. lata, inferius $9^1/_2$ lin. longum, $2^1/_2$ lin. latum. — Ab *A. venustula* statim foliis confertis rosulatis, floribus longe pedunculatis, glabritie etc. differt.

1065. **Alstroemeria Ligtu** L. var.? andina. A. caule humili, tripollari, ad apicem foliato (caulibus sterilibus rosu-

laceis?); foliis linearibus, haud nervosis, involucrantibus conformibus; pedunculis unifloris, nudis (raro bracteatis); foliolis perigonii exterioribus late ovatis, sat longe unguiculatis, roseis, apice *producto*, *viridi;* interioribus *aequilongis*, subrhombeis, longe unguiculatis, roseis, fascia mediana flavis, striolisque purpureis ornatis.

Ex Andibus prov. Santiago. — Caulis basi squamatus, squamae sensim in folia mutantur, et folia involucrantia omnium maxima, 10—15 lin. longa, 1 1/2 lin. lata. Pedunculi 10—12 lin. longi. Foliola exteriora perigonii 19 lin. longa, 9 lin. lata, serrulata; interiora pariter 19 lin. longa, sed modo 4 1/2 lin. lata, inferius 15 lin. longum, 5 lin. latum, immaculatum.

1066. **Alstroemeria Diazi** Ph. — A. caule elato, foliato; foliis satis confertis, haud resupinatis, lanceolato-linearibus, involucrantibus conformibus; umbellae trifiorae pedunculis involucrum vix superantibus, nudis; foliolis exterioribus perigonii *obovato-spathulatis* (haud emarginatis), serrulatis, roseis, basi centroque albidis; interioribus superioribus sextante longioribus, purpureo-lineatis, medio luteis, infimo breviore formae intermediae, immaculato.

In Andibus ex quibus Tinguiguirica fluit legit orn. Wenc. Diaz. — Caulis pedalis; folia internodia fere ter aequantia, 24 lin. longa, 3 2/3 lin. lata, glaberrima, 6-nervia, sed nervis haud prominulis. Pedunculi 16 lin. longi. Foliola perigonii exteriora 18 lin. longa, 9 lin. lata; interiora 21 lin. longa, 5 lin. lata; inferius 6 lin. latum. Apex eorum minus notabilis, minus prominens, minus incrassatus quam in multis aliis.

1067. **Alstroemeria crocea** Ph. Ann. Univ. Chil. 1862. A. caule humili, apicem versus usque ad flores dense foliato;

foliis crassis, sessilibus, lanceolatis; umbellis 3—4-floris; pedunculis indivisis, involucro brevioribus; perigonio pulchre aurantiaco, immaculato; sepalo superiore breviore, spathulato, mucronato; petalis quadrante longioribus, obverse lanceolatis, integerrimis.

In Andibus prov. Talca loco „Tres Cruces“ in altitudine 2200 met. s. m. detexit orn. Herm. Volckmann. Species distinctissima. Caulis 6—7-pollicaris, inclusa parte inferiore squamata, forte subterranea; pars foliata vix bipollicaris. Folia erecta, imbricata, sessilia, fere semiamplexicaulia, usque ad 16 lin. longa, 6—7 lin. lata, haud resupinata. Sepalum superius 16 lin. longum, $5\frac{1}{2}$ lin. latum; lateralia 18 lin. longa, 6 lin. lata, minus retusa, omnia apice incrassato viridulo notata, in sepalo superiore praesertim conspicuo. Petala superiora 21 lin. longa, vix 5 lin. lata, inferius vix diversum.

1068. **Alstroemeria flava** Ph. A. caule humili, usque ad inflorescentiam dense foliato; foliis resupinatis, inferioribus longe petiolatis, ovato-oblongis, supremis lineari-lanceolatis, basi in petiolum attenuatis; umbella subtriradiata; pedunculis 1—2-floris; floribus pallide flavis; foliolis perigonii inaequalibus, omnibus basi valde attenuatis, apice incrassatis ibique luteis; sepalis fere rhombeis; petalis duobus superioribus dimidio angustioribus, multo longioribus.

Prope „Curanipe“ in prov. Maule legit orn. Volckmann. — Caulis, qui suppetit, quadripollicaris, densissime foliatus. Folia margine ciliolata, 7-nervia, inferiora 27 lin. longa, 6 lin. lata, petiolo circiter 9-lineari incluso; superiora 20 lin. longa, $2\frac{1}{4}$ lin. lata; involucralia 12 lin. longa, $1\frac{1}{2}$ lin. lata. Pedunculi 15 lin. longi. Foliola perigonii exteriora $18\frac{1}{2}$ lin. longa, 4 lin. lata (unguis saltem 6 lin. longus), interiora 21 lin. longa, modo $2\frac{1}{3}$ lin. lata. Margo superus serrulatus.

— Perigonii foliolis basi valde angustis cum *A. tenuifolia* Herb. convenire videtur, a qua vero foliis etc. valde differt.

1069. Alstroemeria Gayana Ph. Cent. nr. 452. var. *humilis* caule modo 8-pollicari, petalis luteo-fasciatis.

Prope „los Molles“ in prov. Aconcagua legit orn. Landbeck. — Planta satis variabilis. Caulis hoc loco lectus modo 8 poll. altus, folia 11 lin. longa, 1 1/2 lin. lata, *resupinata* gerit; involucralia aequalia sunt. Pedunculi usque ad divisionem 15 lin. longi, bractea 8 lin. longa, e basi 2 lin. lata sensim angustata; pedicelli 6 1/2 lin. longi. Foliola perigonii interiora 17 lin. longa, 4 1/2 lin. lata, usque ad 2/3 longitudinis pallide purpureo-violacea, deinde obscure violacea, in purpureum vergentia; exteriora 15 1/2 lin. longa, 6 lin. lata, plerumque margine serrata, versus apicem medio caeruleo-violacea.

1070. Alstroemeria citrina Ph. A. foliis linearibus, caulium sterilium crispis; umbellae radiis 2 — 8, plerumque unifloris; perigonii citrini foliolis exterioribus obovato-spathulatis, luteis, interdum medio croceis vel purpureis; interioribus longioribus, angustioribus, magis acutis, purpureo-maculatis.

Prope „Concumen“ in prov. Aconcagua legit orn. Landbeck. — Specimina duo attulit, magnitudine, foliorum numero, et florum magnitudine valde diversa. Ambobus rhizoma horizontale, breve, pallide fuscum, radices plurimas cylindricas, apice haud incrassatas emittens. Folia in apice caulium sterilium rosulata, usque ad 2 poll. longa, 1 1/2 — 2 lin. lata, glauca?, crispa. Caules fertiles 2 — 18 pollices alti, jam basi aphylli, jam e rosula orti. Folia caulina haud resupinata, linearia, sensim attenuata, 6 lin. longa, 1 lin. lata, suprema involucrum formant. Radii umbellae 8 — 16 lin.

longi, plerumque uniflori, rarius bifidi, biflori, tunc ad originem bifurcationis bracteati. Foliola perigonii exteriora in flore majore 15 lin. longa, 5 lin. lata, obovata, sed in acumen breve producta; interiora 17 lin. longa, 4 lin. lata, acuminata, in unguc ciliata, pulchre citrina, lineolis abbreviatis purpureis fere usque ad basin picta, apice purpurascentia. Stamina adscendentia et stylus ut in reliquis. Capsula stylo persistente, crasso, trialato, elongato superata etc.

1071. **Alstroemeria pallens** Ph. caule erecto, pedali, inferius squamoso; foliis erectis, resupinatis?, linearibus; umbellae pauciflorae pedunculis uniflоris; perigonio ut videtur pallidissime roseo; foliolis perigonii exterioribus lamina fere orbiculari, mucronatis, margine serratis; interioribus superiobus longioribus, oblongo-linearibus, spathulatis, purpureo-maculatis, inferiore fere rhombeo, breviore.

E provincia Colchagua attulit orn. W. Diaz. — Folia majora 21 lin. longa, $2^1/_2$ lin. lata, 9—11-nervia, margine haud ciliata; utrum resupinata sint nec ne e speciminibus siccis certo cognosci non potest; superiora more solito involucrantia. Pedunculi modo pollicem longi. Foliola perigonii exteriora 20 lin. longa, 11 lin. lata, demto mucrone et ungue fere perfecte circularia, margine serrulata; ad mucronem incrassatum formandum venae centrales quinque concurrunt; foliola interiora s. collina superiora 22 lin. longa (incluso mucrone fere 1 lin. longo); $3.^2/_3$ lin. lata, apice (demto mucrone) truncato-rotundata; centro lutea, maculis obliquis linearibus obscurioribus (pallide purpureis?) picta; inferius modo 18 lin. longum, 7 lin. latum. Ungues omues glaberrimi. Stamina foliola perig. longiora aequant, stylus parum brevior est. — Juxta *A. Pelegrinam* L. collocanda, a qua: forma sepalorum haud obcordata, fere bialata etc. differt.

1072. Alstroemeria pulchra Sims. var. *maxima.*

Prope „Catemu“ in prov. Aconcagua observavi. Caulis $2^1/_2$-pedalis; folia involucri 5 poll. longa, pollicem lata. Pars indivisa radiorum umbellae 6 poll., bractea ad basin bifurcationis fere 3 poll. longa, 9 lin. lata. Foliola perigonii exteriora 21 lin. longa; $11^1/_2$ lin. lata, interiora 26 lin. longa, 5 lin. lata, a basi inde lineis purpureis picta.

1073. Erinna Ph., novum genus *Liliacearum.*

Planta bulbosa. *Flores* umbellati, pedunculis inaequalibus fulti. *Perigonium* herbaceum, infundibuliforme, fere sexpartitum, tubo brevi, laciniis anguste lanceolatis, uninerviis aequalibus. *Stamina fertilia* tria, faucibus inserta; filamenta brevissima; antherae oblongo-lineares, biloculares, rima longitudinali intus dehiscentes. *Stamina sterilia* totidem, cum fertilibus alternantia, foliolis perigonii aequilonga, et similia sed angustissima, fere filiformia. *Pistillum* minutum, tubo perigonii inclusum; stylus brevis, cylindricus, apice incisus, trilobus; ovarium (certissime triloculare multiovulatum etc.)— Ad *Gilliesiaceas* habitu, colore, magnitudine, textura perigonii accedit, sed caeteri characteres potius Liliacearum genuinarum. Unica species adhuc dum est:

Erinna gilliesioides Ph.

Inter specimina *Solariae miersioidis* Ph. Novembri 1862 in valle „S. Ramon“ dicta Audium prope Santiago lecta unicum hujus novi generis inveni. — Folia radicalia tria, 8 poll. longa; $^5/_6$ lin. lata, linearia. Scapus 5-pollicaris. Spathae foliolum exterius pollicem longum, 2 lin. latum, septemnervium, scariosum, virescens, demum rufescens; interius paullo brevius, angustius, fere omnino albidum, quinquenervium. Pedunculi valde inaequales, longior 8 lin., brevior $^1/_2$ lin. longus. Perigonium 4 lin. longum, incluso tubo vix 1 lin. longo;

laciniae lineari-lanceolatae, peracutae, e luteo virentes; antherae albidae dimidiam laciniarum longitudinem subaequant.

1074. Luzula psilophylla Ph. L. caespitosa; foliis planis, ad vaginam lanato-pilosis, caeterum glaberrimis, vix $1\frac{1}{4}$ lin. latis; panicula contracta, lobata, pauciflora; bracteolis scariosis, pilosis; sepalis lanceolatis, dorso ferrugineis, capsulam subglobosam fere bis aequantibus, exterioribus angustato-subulatis, interioribus paullo brevioribus, potius mucronatis.

In Andibus „Talcaregue" dictis habitat. — Culmus sexpollicaris; folia radicalia 3 poll. longa. Sepala $1\frac{2}{3}$ lin. longa; stamina brevia; bracteae breves. — Differt a *L. chilensi* sepalis capsulam bis aequantibus, foliis glabris etc. a *L. Alopecuro* foliis glabris, panicula pauciflora etc.

1075. Luzula pauciflora Ph. L. caespitosa; foliis planis, margine praesertim ad basin villoso-pilosis, radicalibus brevibus; panicula erecta, 5 — 10-flora; bracteis brevibus, subulatis, flavescentibus; sepalis lineari-lanceolatis, cuspidatis, obsolete ciliatis, flavescentibus, capsulam fere bis aequantibus; valvulis capsulae demum reflexis.

Cum priore lecta est. — Culmi 5-pollicares, filiformes, foliis 2 — 3 onusti, quorum lamina modo 7 — 8 lin. longa et vix $\frac{1}{2}$ lin. lata est. Etiam folia radicalia brevia, modo 2 poll. longa, vix 1 lin. lata. Panicula 6 lin. longa, sepala 2 lin.

1076. Luzula rigida Ph. L. caespitosa; foliis canaliculatis, rigidis, margine villoso-pilosis, radicalibus brevibus; panicula erecta, ovata, contracta pauciflora, bracteis duabus eam aequantibus; bracteolis scariosis, albis, fimbriato-ciliatis; sepalis ovato-oblongis, mucronato-aristatis, basi castaneis, capsulam rufo-castaneam aequantibus.

Pariter in Andibus Talcaregue occurrit. Culmus 9 pollicaris. Folia radicalia 3 poll. longa, 2 1/2 lin. lata; caulina duo. Panicula 9 lin. longa, bracteae ad basin ejus 10 lin. longae, scariosae. Sepala fere 2 lin. longa. Capsula duplo major quam in antecedentibus.

1077. **Luzula brachyphylla** Ph. L. caespitosa, foliis planis margine villoso-pilosis, radicalibus brevibus; culmis subnudis; panicula interrupta, elongata, contracta, spiciformi, multiflora; bracteis foliaceis; sepalis subaequalibus, capsulam castaneam vix superantibus, basi castaneis, ovato-oblongis, exterioribus cuspidato-aristatis, interioribus mucronato-aristatis.

In insula Chiloë legimus orn. Dr. Fr. Foneck et ipse. Culmus 9-pollicaris, bifolius, superius nudus. Folia radicalia modo 2 poll. longa, fere 1 1/2 lin. lata. Panicula 2—2 1/2 poll. longa; bracteae inferiores foliaceae, longe vaginantes; sepala et capsula parva, modo 1 lin. longa. Bracteolae latissime albo-scariosae. Capsula breviores. Differt a *L. chilensi* foliis brevibus, capsula minuta etc., a *L. alopecuro* sepalis haud fimbriato-ciliatis, capsulam vix superantibus nec ea duplo majoribus etc.

1078. **Rostkovia? clandestina** Ph. et **Rostkovia? brevifolia** Ph. Centur. nó. 461 et 462 eadem planta sunt; Novembri 1861 ambas in eodem caespite crescentes simul florentes in Andibus prov. Santiago observavi. Descriptioni l. c. datae modo addendum, flores ♀ primum esse terminales.

1079. **Juncus pictus** Ph. J. culmis aphyllis, basi vaginatis, siccis haud striatis; anthela laterali; bracteolis brevibus, scariosis, rufescentibus; sepalis lanceolatis, acuminatis, dorso viridibus, latere spadiceis; interioribus paullo brevioribus, margine apiceque scariosis; staminibus sex, brevibus; stylo ovarium superante; capsula ....

Frequens videtur; prope Thermas „de Chillan" dictas, prope Corral, ad lacum Rauco, in insula Chiloë legi. — Rhizoma repens. Culmi jam pedales, jam 2 ½-pedales, et basi 1 ½ lin. crassi. Vaginae striatae, pallide fuscae. Bractea caulis apicem mentiens 2—3 ½ poll. longa. Anthelae rami 3—8, majores vix 1 poll. longi, bis vel ter dichotomi. Flores subsessiles; sepala 2—2 ½ lin. longa.

1080. **Juncus corralensis** Ph. culmo foliisque articulatis teretibus; foliis culmum aequantibus; anthela bracteam suam longe superante, e capitulis 2—4 formata; capitulis subquinquefloris; bracteolis scariosis, albidis; sepalis subaequalibus, lanceolatis, dorso viridibus, lateribus scariosis, interioribus distincte trinerviis; staminibus sex; capsula ovata, breviter acuminata, sepala aequante.

Prope Corral invenit indefessus Krause. — Culmi 6—8 poll. alti, vix ½ lin. crassi; sepala fere 1 ½ lin. longa. Stamina et stylus sepala aequant.

1081. **Cyperus Volckmanni** Ph. Anu. Univ. Chil. 1861. — C. annuus, caespitosus, humilis, glaber; foliis planis, culmos subsuperantibus; culmis 1 - 1 ½-pollicaribus; umbella irregulari, tri- — quadribracteata; radiis subtribus, uno subsessili, spicas circiter 7 fasciculato-congestas gerentibus; spicis compressis, 9—11-floris; squamis multinerviis, obtusis, tricoloribus, dorso viridibus, medio utrinque albidis, margine atro-purpureis; stylis tribus, subinclusis.

In „Quebrada de S. Lorenzo" prope Illapel invenit orn. Volckmann. — Plantula caespites parvos format. Radix fibrosa. Folia pollicem longa, 1 ¼ lin. lata, margine spinuloso-serrata. Spiculae 3 ¼ lin. longae, 1 lin. latae; squamae 5 lin. longae. Stamina tria. Achaenia obovata, triquetra, nitida, squamam dimidiam vix aequantia. — Differt

a *C. inflexo* Muehlenb. colore spicarum, stigmatibus inclusis, squamis obtusis.

1082. Cyperus lacustris Ph. C. culmo vix semipedali, triquetro, glabro, basi foliato, foliis planis, margine scabris longiore; umbella compacta, capituliformi, radiis 9—12, polystachiis; involucro subtriphyllo, umbellam bis vel ter aequante; spiculis compressis, subquinquefloris; squamis laxis, multinerviis, aureo-fulvis, dorso viridibus, ovato-ellipticis, sub apice obtuso mucronulatis; achaeniis ....

Ad lacum Ranco inveni. — Culmus 5-pollicaris. Folia 3 poll. longa, $1\frac{1}{2}$ lin. lata. Involucri foliolum maximum fere 2 poll. longum. Diam. umbellae capituliformis 10 lin. Longitudo spicae $3\frac{1}{2}$ lin., squamularum $1\frac{1}{3}$ lin. Achaenia matura nondum aderant. — *C. laeto* Presl et *C. Conceptionis* Steud. valde affinis, sed umbella capituliformis, radii umbellae nempe sessiles, unde habitus valde alienus.

1083. Heleocharis rivularis Ph. H. radice repente; culmis caespitosis, filiformibus, striatis, aphyllis, basi vaginatis; spica ovata, acuta, 4—7-flora; squamis naviculatibus, acutis, *atropurpureis*, apice hyalinis, nervo mediano viridi, ante apicem evanido; squama inferiore obtusa, trinervia, fere omnino viridi; setis hypogynis albis, 5—6; ovarium saltem bis aequantibus; staminibus 3; stylo trifido.

Ad litus flum. Aconcagua prope S. Rafael infra Sta. Rosa inveni. — Culmi 3—5-pollicares, basi brevi atropurpurea, deinde albida; vaginae obliquae, interdum in appendicem brevem, filiformem terminatae. Spicae ad summum 3 lin. longae, squamam inferiorem bis aequantes. Achaenium observare non licuit cum plantam in initio florendi legerim. Differt ab *H. striatula* culmis humilioribus, spicis brevioribus, paucifloris, atropurpureis; setis hypogynis 5—6, ovario multo longioribus, nec 3—4, ovarium aequantibus.

1084. **Carex diclina** Ph. C. spiculis 8 — 12, spicatim dispositis, dioicis; squamis ♂ ovatis, castaneis, margine angusto, albido, scarioso, nervo mediano parum conspicuo; squamis ♀ latioribus, cuspidatis, nervo magis conspicuo, basi viridi; stigmatibus binis, utriculo ....

Ad scaturigines prope argentifodinam „las Arañas" Andium prope Santiago Novembri florentem inveni. — Planta caespitosa. Folia ad summum tripollicaria, plerumque breviora, 1 lin. lata, margine tantum scabra. Culmus foliis parum longior, triqueter. Spica usque ad 10 lin. longa, vix 3 lin. lata; spiculae $2^1/_2$ lin. longae, circa 10-florae. Bracteae etiam inferiores spicis breviores, late ovatae, castaneae, margine lato, scarioso, albo et nervo mediano viridi in aristam squamae aequalem excurrente. Squamae ♂ et ♀ $1^1/_4$ lin. longae. Stylus satis elongatus, basi haud incrassatus. Utriculus in flore perviridis, ovatus, glaberrimus, apice stylum vaginante.

1085. **Carex ebracteata** Ph. C. caespitosa, culmis rigidis, erectis, teretibus, basi vaginatis, aphyllis; spica terminali androgyna superne mascula, bracteis destituta, ovato-oblonga; squamis inferioribus ovato-lanceolatis, spadiceis, dorso viridibus, margine scariosis, hyalinis, masculis lineari-bus, albidis, apice spadiceis; stigmatibus tribus! utriculo elongato-pyriformi, pubescenti-albido.

In Andibus prov. Colchaguae invenit orn. Landbeck. — Culmi 8—9-pollicares, $^3/_4$ lin. crassi, vaginis 4—5 fuscis, striatis cincti. Spica 5 lin. longa, $2^1/_2$ lin. crassa. Squamae inferiores 2—3, reliquis majores, bracteaeformes, sed modo $2^1/_2$ lin. longae, ut in *C. piptolepide* Desv. caducae; reliquae sensim angustiores, et in formam squamarum masculorum abeuntes. Utriculi 2 lin. longi. — Defectu bractearum cum *C. piptolepide* Desv. convenit, sed squamis longe diversis,

spica pluriflora, utriculis pyriformibus, defectu foliorum facili negotio distinguitur. An *C. aphylla* var. bractea spathaeformi destituta?

1086. Carex Pissisi Ph. — C. junciformis, monostachya; culmis caespitosis, laevibus, filiformibus, basi foliatis; foliis brevibus, setaceo-filiformibus; bractea spicam sesquies aequante; spica androgyna, superne mascula, brevi, ovata, flavescente, squamis inferioribus ♀, lanceolato-ovatis, mucronatis, linea ferruginea utrinque notatis; utriculo brevissimo, puberulo; elougato-pyriformi, basi fere pedicellato, apice in rostrum longiusculum abrupte terminato, albido, hinc convexo et enervio, illinc gibboso, binervio.

Ex Andibus prov. Coquimbo attulit orn. Volckmann. — Culmi 8-pollicares, vix $^1/_2$ lin. crassi, vaginae pallide fuscae; folia modo 12—15 lin. longa. Bractea (deinde cum squamis inferioribus decidua) 5 lin. longa. Spica 3 lin. longa, cum fructibus patentibus fere globosa. Utriculi 2 lin. longi. — Culmis filiformibus cum *C. setifolia* Kuze. convenit, sed utriculo rostrato, basi longius contracto, squamis foemineis haud longe mucronatis differt. A *C. Berteroana* Desv. culmis debilibus, haud rigidis, utriculo longe rostrato, basi magis attenuato etc., a *C. piptolepide* Desv., quacum forma rostrata utriculi magis convenit, utriculo magis inflato, pyriformi, culmis tenuibus nec duris, foliis brevibus etc. discrepat.

1087. Carex thermarum Ph. C. caespitosa; culmis pedalibus, erectis, inferius laevissimis, teretiusculis, superius triangularibus et angulis scabriusculis; foliis erectis; culmo brevioribus, margine scabriusculis; spicis androgynis, apice masculis, circiter 16—20 in capitulum ovatum congestis, sessilibus, elongatis; bracteis capitulo paullo brevioribus subulatis; squamis ♀ ovatis, acutis, utriculum aequantibus, rufis;

nervo mediano viridi, margine albo scarioso; utriculis ovatis, seusim acuminatis, late marginatis, margine parum serrulato, dorso convexo, nervoso, basi brevi suberosa; rostro bifido; stigmatibus binis. Ann. Univ. Chil. 1862. 2. p. 384.

Prope thermas „de Chillan“ dictas c. 5800 p. s. m. inveni. — Folia 2 lin. lata, $^3/_4$ longitudinis culmi aequant. Bractea major 9 lin., capitulum 10 lin. longum. Spicae inferiores $5^1/_2$ lin. longae, squamae ♀ et achaenia $1^1/_2$ lin. longa. Achaenia fere ut illa *C. propinquae* Gay t. 73. f. 9, sed basis suberosa et nervi distincti; immatura viridia, dorso rufescentia sunt.

1088. **Carex chillanensis** Ph. C. culmis erectis, triangularibus; foliis laeviusculis, culmum subaequantibus; spicis unisexualibus, tribus vel quatuor, suprema mascula, infima pedunculata; bractea infima foliacea, culmum subaequante; squamis ♂ oblongis, obtusiusculis, margine atropurpureis; squamis ♀ ovatis, obtusis, fere omnino atropurpureis, nervo mediano tantummodo ante apicem evanescente, viridi; utriculis squamas latitudine et longitudine paullo superantibus, compressis, ovatis, acutis, nervosis, immaturis viridibus, margine fusco, laevi, rostro brevi, stigmatibus tribus. Ann. Univ. Chil. 1862. 2. p. 385.

In valle „de las Aguas calientes“ dicta prope Thermas de Chillan juxta nivem perpetuam inveni. — Culmi 9-pollicares. Folia $^2/_3$ lin. lata. Spica ♀ inferior ad summum 2 poll. ab apice spicae ♂ terminalis distat, circa 7 lin. longa, 2 lin. crassa; squamae ejus $1^1/_4$ lin. longae; squamae ♂ $1^1/_2$ lin. longae. — Simillima *C. antuccnsi* Kunze, sed stylus brevis, trifidus, neque elongatus bifidus, et folia culmo breviora.

1089. **Carex corralensis** Ph. C. culmo vix pedali, basi fibris cincto, triquetro, scabro; foliis culmum aequantibus;

bracteis evaginatis, foliaceis, infima culmum superante; spicis masculis duabus, atropurpureis; squamis earum ovato-oblongis, obtusis, margine angusto, scarioso, albo, apice ciliatis; spica foeminea unica, stricta, breviter pedunculata, cylindracea; squamis ejus lanceolatis, acutis, haud aristatis, atrosanguineis, centro viridibus, ovario hirsuto; stigmatibus tribus; utriculo ....

Prope „Corral" lectam communicavit orn. Krause.— Folia 1 1/2 lin. lata, margine scabra. Vagina inferior 4 1/2 poll. longa. Spica ♀ circiter 14 lin. longa, diametri 2 lin., pedunculo 5 1/2 lin. longo insidens; squamae ejus 2 1/4 lin. longae, inferiores paullo latiores, superiores angustiores, cuspidatae. Spica terminalis ♂ 14 lin. longa, pedunculo brevissimo insidens, altera vix 7 lin. longa, omnino sessilis.

1090. **Uncinia leptostachya** Ph. U. culmo gracili, trigono, laevissimo, maxima ex parte nudo; foliis culmo brevioribus angustis, vix 2 lin. latis, in pagina superiore, margine et carina scaberrimis; spica gracili, 3 poll. longa, absque aristis vix 1 1/2 lin. lata; squamis ♀ utriculum aequantibus, ovato-lanceolatis fuscis, nervo mediano viridi, margine superius angustissime albido; utriculo lanceolato, ventre plano, fere triquetro, apicem versus dense puberulo, marginibus fere a basi ciliato-hispidis; arista utriculum aequante; achaenio castaneo, oblongo-lineari, elliptico, dorso carinato.

Prope „S. Domingo" in prov. Valdivia inveni. — Culmus 1 1/2-pedalis, modo 2/3 lin. crassus, basi folia subterna gerens, caeterum nudus. Folia 8 poll. longa, apice attenuata triquetra. - Squamae fere 3 lin. longae. Spica tam gracilis quam in *U. tenui* Poepp. — Differt ab *U. trichocarpa* Meyer spica angustiore, longe magis laxa; utriculo superius dense puberulo; arista longiore; achaenio breviore, dorso acute carinato; squamis utriculum aequantibus, nervo viridi etc.

1091. Uncinia chlorostachya Pl. U. culmo bipedali, gracili, trigono, laevi, foliato; foliis longissimis, culmum superantibus, $2^2/_3$ lin. latis; spica basin versus attenuata, 5-pollicari, ubi crassissima absque aristis vix 3 lin. crassa; squamis masculis laxiusculis; foemineis obovato-oblongis, inferioribus albidis, fere unicoloribus, superioribus sub apice albo-ferrugineis, basin versus stramineis, nervo viridi; utriculis squama parum majoribus $3^1/_2$ lin. longis, oblongo-linearibus, maxima ex parte viridibus, dorso convexis, trinerviis, margine omnino ciliato-hispido; arista bilineari; achaenio lineari, albido, dorso inferius carinato.

Prope „Corral“ cum reliquis occurrit. An haec *U. phleoides?* — Figura utriculi *U. phleoidis* a cl. Desvaux apud Gay t. 77. f. 6. data valde distincta; etenim a basi inde usque ad $^2/_3$ longitudinis latitudo crescit, deinde decrescit. In nostra vero utriculus paullo supra basin latior fit, deinde margines fere paralleli usque ad $^3/_4$ longitudinis currunt, et inde rapide connivent. Arista in figura utriculum aequat, in specie nostra modo utriculum dimidium etc.

1092. Andropogon caespitosus Ph. A. caespitosus, glaucus; culmo simplici, distachyo, glaberrimo; foliis complicatis, glaberrimis, ad os vaginae pilosis; rhachi articulata, dense pilosa, ad articulos supra infundibuliformi; glumis lineari-lanceolatis, ultra medium pergamenis, dense hirsutis, dein herbaceis, glabris, striatis; palea floris ♀ bifida, aristata; arista contorta, glaberrima.

Specimina duo prope „Vichuquen“ lecta attulit orn. Landbeck. — Planta repens, sed caespitosa, fasciculos plurimos steriles et fertiles ex eodem puncto emittens. Folia 7 poll. longa, fere 2 lin. lata, sed plerumque complicata, praeter pilos ad os vaginae glaberrima, margine et nervo dorsali vix

scabra. Culmus fere 1 1/2-pedalis, quinquenodis, tenuis, laevissimus, glaberrimus. Vagina suprema 2 poll. longa, laminam modo 3 lin. longam gerit, quae fere pollicem a spica terminali distat. Folium inferius ramum gerit, qui spicam alteram basi a foliis rami involutam emittit. Spicae circa 1 1/2-pollicares, sed ad summum 10-florae. Articuli rhacheos extus dense pilosi, intus concavi glabri, apice in modum infundibuli excavati, ut articulum sequentem suscipiant, 3—4 lin. longi. Flores arcte appressi. Glumae 3 1/2—4 lin. longae, in duabus tertiis inferioribus cartilagineae et extus densissime et longe pilosae, deinde fere herbaceae, striatae, apice bifidae et e medio breviter aristatae. Palea floris ☿ fere aeque longa, profunde bifida, e medio aristam geniculatam, contortam, glaberrimam, 7 lin. longam emittens, violacea, margine hyalina.

1093. **Phalaris colchaguensis** Ph. Ph. annua, ramosa; culmis erectis; foliis late linearibus glabris, laeviusculis; vagina suprema parum ventricosa; panicula spiciformi, 6 lin. crassa, 18—20 lin. longa; glumis aequilongis; ala carinae angustissima; flore fertili villoso-sericeo, demum castaneo.

In prov. Colchagua legit orn. Landbeck. — Unicum specimen suppetit. Culmi 1—1 1/2-pedales, quini ex eadem radice, basi lineam crassi. Foliorum inferiorum lamina 4 poll. longa, 2 1/3 lin. lata; ligula oblonga. Spica ab ultimo folio 4—5 poll. remota. Glumae 3 lin. longae, lanceolatae, scabrae, albidae, nervis viridibus; palea floris fertilis 2 lin. longa; paleae florum sterilium vix tertiam longitudinem fertilis aequant. — Floribus magnis statim a *Ph. angusta* Nees, *microstachya* DC., *chilensi* Presl discrepat et ad *canariensem* accedit, a qua vero spica elongata et carina glumarum perparum elevata, fere nulla, valde abhorret.

1094. Nassella Sadae Ph. N. perennis, caespitosa; culmis pedalibus, paucinodibus, filiformibus, glaberrimis, laevibus, superius nudis; foliis angustis, brevibus, convoluto-setaceis; ligula brevissima; vaginis ore glabris; panicula $1^1/_2$—2-pollicari, angusta, laxiuscula, interrupta; glumis subaequalibus, ovatis, acuminatis, $1^1/_2$ lin. longis, violaceis, apice fulvis, margine scariosis, quinquenerviis; palea inferiore obovata, vix 1 lin. longa glaberrima, nitidissima, subenervi; arista $3^1/_4$ lin. longa.

In colli prope Santiago sito, *Cerro de Bravo* dicto, inveni. — Vagina summa 1—2 poll. a panicula distat. Folia infima raro $3^1/_2$ poll. longa, caulina plerumque 2-pollicaria; superiora modo $^1/_2$ poll. longa. — A *N. pubiflora* Fr. et R. et *N. pungente* Desv. palea glaberrima; a *N. majore* Fr. et R. vaginis ore glabris, glumis quinquenerviis, violaceis, palea inferiore subenervi, duratione; a *N. ramosa* Steud. et H. et *N. chilensi* Fr. et R. caule ad summum quinquenodi, simplici, vagina summa a panicula remota differt.

1095. Nassella juncea Ph. N. elata, orgyalis, ramosa; culmis glaucis, tenuissime striatis, duris, etsi tenuibus; foliis convoluto-filiformibus, non pungentibus; vagina summa inflata, paniculae $2^1/_2$-pollicaris basin amplectente; glumis subaequalibus, $2^1/_4$ lin. longis, ovatis, valde acuminatis, basi nervisque tribus viridibus, medio violaceis, apice hyalinis; palea oblonga, glaberrima, $1^1/_4$ lin. longa; arista 4 lin. longa.

Prope Corral detexit ornat. Herm. Krause. — Culmus tantae altitudinis basi vix lineam crassus. Folia brevia; lamina vix 2 poll. longa; vagina parum longior ad os haud pilosa; ligula obliqua, ovata. — Ab omnibus in opere Gayi descriptis speciebus jam statura discrepat, et unice cum *N. exserta* mihi comparanda, quae panicula ab ultimo folio re-

mota primo adspectu distinguitur, nec non palea breviore, latiore etc.

1096. **Nassella exserta** Ph. N. ramosissima, scandens, 6-pedalis; culmis filiformibus; foliis convoluto-filiformibus, non pungentibus; panicula angusta, confertiflora, ab ultimo folio remota; glumis subaequalibus, 1 2/3 lin. longis, ovato-acuminatis; palea inferiore glabra, oblique obovata, truncata, nitida, 1 lin. longa; arista 5 lin. longa.

In praedio meo S. Juan prov. Valdiviae nemora inhabitat. — Culmi 2/3 lin. crassi; folia 21 lin. longa, ad os vaginarum pilosula; gluma inferior 3 nervia, superior minus distincte trinervia; palea ad basin pilis paucis 1/3 ejus aequantibus cincta. — Differt a *N. juncea* mihi: panicula ab ultimo folio remota, 4—5 poll. distante, forma obovata, truncata paleae etc.

1097. **Nassella humilis** Ph. N. 2., dense caespitosa humilis, glauca; culmis filiformibus, 2—4-pollicaribus; foliis superioribus 4 lin. longis, convolutis; vagina summa paniculam angustam, pauciflorum, semipollicarem amplectente; glumis subaequalibus, 1 1/4 lin. longis, *late-ovatis*, acuminatis; palea inferiore oviformi, albo-pilosa, nitida, primum alba, demum fusca, vix 3/4 lin. longa.

Plurimum autem refert nosse, vicinas provincias juxta Dravum et Danubium plurimis paludibus foedaque uligine squalere: sic ubi Dravus limitem regni adtingit, supra Bares paludosa sylva effusas huius fluvii aquas recipit, et stagnantes retinet. Majores latiusque patentes et per plura milliaria juxta Dravum extensas paludes Baranyensis Cottus inde a Csehi usque ad Danubium Slavoniae objicit. Inde a confluente hujus et Dravi sinistra prioris fluvii ripa per Bacsiensem Comitatum longo spatio paludosa est, ubi et infra Neoplantam. Latissimae autem diffusae sunt paludes in provincia nautarum militantium ad confluentem Tibisci et Danubii, atque hinc per provinciam legionis germano-illyricae seu germano-

banaticae usque et ultra Pancsovam, ubi paludes ad plura milliaria latescunt. Sunt quidem etiam non paucae aquae stagnantes per Serviam et Bosniam ad dextram Savi ripam per hujus exundationes canssatae, sed montibus collibusque ad flavium hunc propius accedentibus magis constrictae. Latitudo maxima hujus regionis est in superiore ejus parte prope limitem occidentalem inter Dravum ad Barcs et Savum ad Szvinyár hic secundum tabulam geogr. Lypszkyanam prope 13 milliaria adaequans, minima autem est in Sirmio inter Danubium ad Bánostor et Savum non procul Ladjarak, ubi vix $3^1/_3$ milliaria excedit. Longitudo autem $39^1/_3$ milliaria efficit, si inde a supremo angulo in Croatiam inserto usque ad confluentem Savi et Danubii computetur. Atque inter hanc extensionem in longum latumque comprehenditur mensura superficiei aequalis.

Sec. B. Lichtenstern 276 milliaria quadratis: provinciale nempe 158 m. □, militare 118 m. □.

Sec. mappas Comitatum autem per Görög editas provinciale efficit 171 m. □: nempe Cottus Veröc. 83, Cott. Poseg. 45, Cott. Sirmiensis 43.

Sec. mappam Lipszkyanam (ut in Baronis Zach: Monatl. Correspondenz. Jahrg. 1803. p. 246 habetur), tota Slavonia comprehend. 295 m. □.

Demian denique sec. geometricas dimensiones, terrarum, quas milites limitanei tenent, sequentem mensuram indicat: nempe legionis Gradiscanae $28^3/_5$, Brodensis 26, Petrovaradiensis 48, Communitatum militarium Semlin, Carlovicium et Petrovaradinum $2^2/_5$. Summa 105 m. □.

E dictis et inspectione mappae colligit formam circuitus seu peripheriae seu perimetri cuneum aemulari, cujus latus, qua parte, Dravo circumscribitur.

Mare Slavoniae proximum est adriaticum, quod si a supremo ejus angulo linea recta ad litus prope Segniam ducatur, 27—28 mill. geogr. tantum in occasum distare comperietur: magis distat Pontus Euxinus in ortum recedens; et magis adhuc remotum est mare balticum, in septemtrionem rejectum. Primo objiciuntur proxime adstantes montes Velebich, postremo altissimum Carpati, secundo humiliores Serviae, Bulgariae, Transsilvaniae et Valachiae montes.

B. *Facies superficiei.*

Basis Slavoniae, resectis montibus generatim considerata, docentibus fluviis limitaneis ab occasu in ortum, inclinata est, quam inclinationem non nimis magnam esse, inde colligere licet, quod fluvii per limites lente defluant adverso flumine navigia ferentes. Maxime depressum est solum ad confinentem Savi et Danubii.

Caeterum superficies regni hujus pro parte quidem montibus inaequalis, maxima vero parte plana est. Planities nempe a dextra Dravi et sinistra Savi ripa in septemtrionali atque australi latere regni late diffunditur lenissime acclivis. Dravana planities (ita forsitan appellere convenit eam, quae a sinistra Dravi ripa ad montes Com. Verőcensis extenditur), a 2—3ve milliaribus, quae in occidentali fine habet, versus inferiorem horum montium partem e. g. versus Deakovár, ad 6—7 milliaria latescit; Savana priore continuo angustior vix uspiam ad 3 milliaria in latum patet, saepe duobus angustior imo regione montis Motaica Bosniae vix dimidium milliare adaequat. Quae porro utrique priorem continua inter montes Verőcensi-Poseganos et inter Sirmienses intercedit planities, a Deakovár ad Novák 9 in longum; in latum autem a Dravo ad Savum (linea prope Valpó inchoata et hinc in meridiem ducta) ultra 9, inter eosdem fluvios initio prope

Eszekinum sumto $7^2/_3$, a confluente Danubii et Dravi recta in meridiem ad Savum $10^1/_2$, supra Sarengrad, ubi definit; ad eundem hunc fluvium $5^1/_4$ milliaria adaequat: Sirmiensis denique planities inde a montibus circa Novák et Bábszkó decurrentibus ad Savum vix ultra 4, inter Savum et Landjarak et montes versus Divos vix ultra $1^1/_2$, inter Krusedol autem et fluvium eundem ultra 7 milliaria patet; inde vero usque ad confluentem Danubii et Savi tubam inter utrumque fluvium interjacentem plagam explet, ad 8 et amplius milliaria diffusa. Quemadmodum verum dravana planities ad Dravum, savana ad Savum inclinata est, sic media partim versus hunc, partim versus illum et Danubium deprimitur ita, ut inter lamnes Vuka et Boszút (ad Nustar et Vinkovce) solum decem orgyis supra illos emineat, ita compertum est, cum de conjunctione Danubii cum Savo medio amnium Vuka et Boszút agebatur, referente Petrovics, qui dimensionibus intercalatis tergo inter nominata 2 loca, tum inter Petrovze et Jankovcze procurrente, atque infra Vukovár ad altiorem Danubii ripam accedente. Sirmiensis vero planities ut a montibus almis (Fruska gora) in Savo perpetuo inclinat, ita etiam, ubi inter hunc et Danubium inter amnem regionem omnem occupat, eamdemque inclinationem habet, altis posterioris fluvii ripis usque Semlinum praeruptis, versus Savum autem lenissime inclinatis. Monere adhuc refert, planas has partes versus montes ita successive in clivos et colles elevari, uti ubi desinant et montes incipiant vix dicere possis, id quod in Veröcensi provincia ad Veröce; tum versus Deakovár in fere montium superiorum; tum ad et ultra Vukovár versus Novák, ubi Fruska inchoat; atque juxta latus hujus meridionale ejusdemque finem orientalem versus Krusedol obtinet. Savana autem planities in superiore parte juxta viam, quae per gradiscanam legionem deducit, saepe subito in montes licet non altos elevat.

Omnis autem regni hujus planities (si partem inferiorem Sirmiensis, ad Danubium accedentem, eamque mediae, quae infera amnem Vukam ad eundem hunc fluvium adpropinquat demas) versus fluvios limitaneos (Savum, Dravum et Danubium) nimis depressa, fereque ad libellam aequata est. Montes Slavoniae per intercedentem planitiem a Dravo et Danubio usque Savum protensum ita, ab se invicem sejunguntur, ut eos etiam separatim describere oporteat.

Alii nimirum ab occidentali fine, dimissis etiam in Croatiam ramis, inter Dravum et Savum versus ortum ad 17—18 milliaria in longum extendunt, partem Comitatus Veröcensis, totumque Posegannm et partem provinciae militaris Gradiscanae atque aliquam etiam Brodensis occupantes, in superiore regni parte ultra 7 milliaria in latum diffusi, in inferiore fere ad 3 constricti. Alii vero per Sirmium juxta Danubium extendunt. Illos superiores vel Veröcensi-Poseganos, hos inferiores, vel proprio suo nomine Almos aut Serbis illyris usitato Fruska Gora in sequentibus nominabimus.

Montes superiores ad limitem occidentalem regni, per quem ramos etiam in vicinam Croatiam demittunt, latissime patent, ad 7 et ultra milliaria diffusi. Hinc versus ortum ad 16—17 milliaria Deakovár protenduntur, a Dravo magis quam a Savo remoti et ab illo successive magis magisque recedentes, ut versus finem inferiorem vix ad 3 milliaria pateseant. Idem per superiorem partem provinciarum Veröcensis, Poseganae et Gradiscanae extensi, vastam constituunt congeriem, varia altitudine, extensione, forma et directione, ut tamen hac generatim sunta magis versus occidentem inclinent et decrescunt, eorsum etiam valles et per has aquas suas; contrario fluviis limitaneis cursu emittentes. Inde vero scilicet infra Kamenszkó, in binas discedunt tractus, seu in

binas series, qui amplam fereque planam, nec nisi clivis et collibus inaequalem, amoenissimam vallem, campum nimirum Posegannm intercipiunt. In fine vallis hujus porro iterum concurrunt, aggregatum tamen et humilius et angustius constituentes.

Montes hi, qua parte inde pone Vucsin a Zvechevo inter Posegannm et Veröcensem Cottum altius adsurgunt, quam in quacunque alia regni parte, atque ibidem mons Papuk altitudine omnes excedit, cujus tergum Ravna Gora dictum, versus Straxámen (Sztrazseman) in meridiem extendit hic in colles decrescens. Qui inde a Papuk circum Zvechevo et versus Vucsin continuantur, montes Ograssevieska Vrdo, Toesák (monti proximus est versus ortum m. Eminovác), Omerovác, Jávornik, Rupinoska Vrdo, Gradina, Liszszina eidem altitudine non parum cedunt, uti et qui per Poseganam provinciam versus occasum, et versus septemtrionem limites hujus procurrunt, velut Piezlova Noga prope Kuzmia porro a Papuk in ortum extendant, campum Poseganum e latere septemtrionali stipantes, successive decrescunt, ut tamen jugum montium a Papuk in orientem protensum usque et ultra montem Kerndia v. Krndia (non Krudia, ut in mappa Görögiana et Lipszkyana male scribitur) altum et arduum sit conscensu. Difficilis certo est via, quae Nassica in Poseganum Comitatum per nunc nominatum montem Radetnia versus officinam vitrariam Jankovác et hinc per altius tergum in eandem provinciam conducit, quae solo sunt sitae per hos montes plaustris servientes; qui enim caeterum hanc catenam constituunt montes et altiores et magis ardui sunt, inter quos infra Drenovác, Zservauszka, ad Felsö Pistana eminens, tum Zmrkovácz, tum ad Orahovicam Gizdarovo Brdo et mons, cui arx vetusta Grádác insidet, propter quam via per montem Krudia Nassica Posegam ducit. Quin ultra Gázie pagum

infra Fericsance adhuc notabilis est montium altitudo, ultra Podgorács autem ad Podgorje versus Deakovarinum jam in colles deficiunt. Monti Gizdarovo Brdo in orientem continuus est Tiszszovác, in septemtrionem leniter inclinatus, maxime eminent. Memorabile adhuc de his montibus est, eos inde ab angulo occidentali, in quo Veröcensis et Poseganus Cottus inter Vucsin et Veröce cum Croatia concurrunt, usque ad orientalem finem per 10 et amplius milliaria extensam continuamque catenam constituere; porro eosdem arduos quidem ex utroque latere esse, non tamen inaccessos.

Simili prope ratione se habent montes, hi superiores, qua parte meridiem Savumque spectant: in superiore nimirum parte, quae fere opposita est altissima Papuk, magis, quam alibi, eminent, ubi mons Pszuny versus vallem Kamenszkoensem decrescens campum Poseganum versus occasum terminat, humiliores tamen sunt ii in septemtrionali tractu, minus ardui, nec continuam constituunt catenam: supra Posegam enim, ubi viá ex hac urbe primum in occasum procurrens, tum in Austrum curvata Gradiscam ducit, fere interrumpit, collibus tantum inter montes interjectis cohaerens; ita ut a m. Pszuny a catena montium juxta Posegam ultra Pleternicam decurrente fere sejunctus sit; Posegana haec montium catena, versus Pleternicam una, et ad Verbovam, ubi in dextra ripa Savi mons Bosnicusis Motavica eminet, alia ex parte in colles decrescit, et ubi Orlyava amnis infra Pleternicam aequas campi Posegani in Savum educit, omnino interrumpit, collibus utrinque in angustam vallem coarctatis, et a sinistra seu orientali ripa iterum in minores montes elevatis.

Praeter principem vallem, quam campum Poseganum nominari diximus pleraeque aliae perquam angustae sunt. Campus Poseganus ad 2 milliaria in Cottum et prope ad 4 in longum extensus, fere planitiem constituit, collibus inaequa-

lem; ac montibus ita cinctam, ut in eam aquae undique ex iis confluant, nonnisi infra Pleternicam exitum reperientes, ubi solum ejus maxime depressum est. Aliae quaedam, velut infra Vucsin, rivum Vucsinszka in planitiem educens, tum illae, quae inter montes minores versus Croatiam et Illovam aperiuntur, velut quae Pakram amnem in illum emittit: tum quae versus meridiem et Savum versus Okocsányi latescit, quae inter colles in quos montes hi versus et ultra Diakovár decrescunt, intercedunt, sat amplae sunt; aliae vero plurimae nimis constrictae, quales jam inter montes minores non procul Veröce occurrunt; tum ad Kuzma, pone Vucsin, uti altera rivum Jedóvica, altera rivum Vucsinszka emittit; ad Komatnik, Szekulincze, Drenovác, officinam vitrariam Jánkovác, sub arce vetusta Ruzsica et ad monasterium Orahovicense, ad Grádac pagum infra arcis rudera etc. Ita et in altero latere hujus tractus pone Kuttyevo, Hernyevác, Vettóve, Velika, Straxamen etc. valles perquam angustae sunt. Tales quoque comperimus in catena montium inter Posegam et Pleternicam qualis est vallis Vucsák prope Posegam versus pagum Szélce extensa, tum ad Vidovci etc. tum et altero latere ad Ságovina, Csernye, Szumetlicza, Bachnidol, et potissimum in congeric montium occidentali, qua parte in vallem majorem ad Kamenszko montibus altioribus, utrinque latera inclinant, tum ultro valles ad Pakram demittunt, uti et quae in vallem e montibus ad Zvechevo versus Szirács decurrentem, concurrunt, aquas in rivum Biela conducentes etc.

Utut autem angustae sint pleraeque valles, non tamen torva est montium facies, nec rupibus horrida utpote quae nec frequentes, nec vastae sunt. Quas ipsi vidimus, fere sequentes sunt: mons arcis vetustae Vucsin in latere superiore rivum spectante grandes saxorum massas denudatas exhibet; ad pedem montis Liszszina ad sinistram rivi Jedovicza in valle

ejusdem nominis, saxa in columnis erecti eminent, 10 — 12 pedes longitudine aequantibus et in opposita ripa informes massae saxi ejusdem prostant; quales etiam superius utrinque visuntur et in australi latere Liszinae reperiuntur. Et cacumine ejusdem latere, in medio circiter, columnae quadrangulae, ad angulum 15—20 inclinatae, ac velut in gradus dispositae occurrunt; nec desunt saxa denudata in monte Gradina, priori opposito, et per 2 valles separato; in Tocsák monte versus Zvechevo, magnae sunt rupes; in valle prope Drenovác in sinistra rivi ripa rupes pene ad perpendiculum abrupte prostat; talis etiam cernitur infra officinam vitrariam Jankovác, ubi rivulus in praeceps ruit; ibidem in utroque latere, et supra scaturigines rivuli saxa denudata videas; in monte, qui rudera arcis Ruzsica, prope oppidum Orahovica gerit, nonnisi pauca saxa denudata cernunt; ipsum cacumen, cui vetusta Gradác prope viam quae Nassica Posegam ducit, insidet quodque Czrni Brigh nominant, nonnisi in latere australi et versum occasum rupes nudas exhibet. In altero latere montium horum quo vallem Poseganum spectant, rupes offendimus ad arcem vetustam Gradistye in monte conico Viz Loncsárszki, in valle sub monte Ottomanovác. Pone et prope Kuttyevo per vallem, utrinque saxa denudata videntur; nec desunt rupes in altero latere utriusque vallis, infra illum montem concurrentis; in sinistra valle per quam Vclicsanka defluit, ultra horam adscendendo vallis sinistrorsum versus Kamengrád flectitur, in qua rivus per petras perpendiculares, ad 4 orgyas altas delabitur in recessu vallis Rádovác ultra pagum. (Das Uebrige fehlt.)

Status Florae in Regno Slavoniae.

Ex iis quae hactenus de situ, superficie, indole soli, aquis et climate disserimus, facile concipitur, Floram Slavoniae ab

illa Croatiae, reliquae Hungariae haud multum discrepare posse. Demtis enim alpibus atque arenosis et salsis plagis stationes plantarum, qua in utraque harum obtinentur, Slavoniae similes sunt.

A. Sylvae nimirum quae adeo vastae et frequentes sunt, ut regio haec e monte spectata, cum vicina Hungariae prov. Sümeghiensi prope continua videatur, fere iisdem constant arboribus. Inter has Quercus species copia primas obtinent; his extensione accedunt Fagi; Pini autem species unica, eaque haud frequens occurrit; et reliquae arbores fere tantum sparsae occurrunt. Plures jam silvae praesertim non procul pagis miserae devastatae sunt, velut ad et ultra Kamenszko, ubi humus jam ablata est.

α) Querceta non tantum latera montium meridiem spectantia, saepe usque in apicem eorum, et colles atque clivos occupant, sed et planam regionem quin et depressa, palustria atque exundationibus obnoxia loca fere sola obsident; ut adeo maximam silvarum partem efficiant. In iis *Quercus pedunculata* per planitiem et acclivem regni partem dominatur; et inter hujus generis species sola loca aquis obnoxia; juxta Dravum, Savum et Danubium cum *Salice alba, monandra, aquatica, Populis, Fraxinis*, saepe *Betulis* inhabitat. 2) Hanc copia sequitur *Quercus Robur*, quod non tantum in montibus almis Sirmii, sed etiam altioribus Comitatus Veröcensis et Posegani, in confinii superiore parte atque in ipso hujus regni altissimo Papuk per latera australia usque in apicem ascendit, copia reliquis arboribus hic praevalens. 3) *Q. Cerris* quam ab *austriaca* specie differre dubitamus, in fertiliore, sed sicco solo, *Q. pedunculatae* interniscetur, nec raro copia hanc praecedit, potissimum in convallibus Veröcensis provinciae, et in leniter acclivibus totius regni locis. 4) *Q. con-*

ferta, species, nt nobis videtur, nova, foliis sessilibus, lobatose profundeque pinnatifido-sinuatis, extrorsum latescentibus, laciniis majoribus margine inferiore lobato-dentatis, subtus tomentosis; utrinque scabris, fructibus confertis, cupularum squamis liberis, adpressis, sericeo-pubescentibus distinguenda; tantum in Posegana provincia nobis occurrebat, et quidem ad Porechc et Kula *Q. pedunculatae* atque *Cerri* intermixta, ad Kutyevo sparsa, inter oppidum hoc et Gradistye copiosior, et supra pagum hunc versus rudera arcis praedominans. 5) *Q. pubescens, Roboni* sese adsociat, sed rarior, velut in Sirmio ad Vukovár, Kámenic, Rakovác, Velika Remete etc. in Cottu Veröcensi ad Szeovszkidol non procul Páka domini Deakovariensis, tum inter Vucsin et Drenovác, versus et ad Russevo etc. nec non in Posegana provincia.

b) Fageta potissimum septemtrionalibus montium lateribus innascuntur non tantum in Posegana et Veröcensi, sed in calidiore Sirmiensi provincia. Eorum vastissima vidimus in tractu montium inde a Szvechevo usque et ultra Drenovác, ubi montes Liszsza, Gradina, Ograssevicska, Vrdo, septemtrionale latus mont. Papuk aliique fere tantum *Fago silvatica* teguntur, velut et mons Gizdárovo Brdo ad Orahovicam, cujus latus meridionale tamen usque ad apicem Robore tegitur; montis Lipovác superior pars altissimas Fagos alit sub Papuk.

c) Reliquae arbores fere tautum sparsae prioribusve intermixtae occurrunt, nec proprie silvas constituunt. Ita *Populum albam* et *nigram*, *Alnum glutinosam* haec tamen copiosa est in valle ultra Kamenszko, ubi ut ad Vucsin et Drenovác etiam in locis siccis editis occurrit, frequens etiam ad viam infra Drenovác, et ad rivum prope Orahovicam, cum ad Badlyevina inter Pakrac et Darúvár: *Salicem albam* et *Fraxinum excelsiorem* in inundatis Savi et Dravi copiosas

quidem videas, sed nonnisi hinc inde *Quercui pedunculatae* praedominantes. *Tilia* quidem *microphylla* (*parvifolia* vel *cordata*), et *europaea* (*grandifolia* v. *platyphyllos*), atque *alba* (frequentissima in Sirmio, nec tamen deficiens in reliqua Slavonia) passim quidem in silvis montanis obviae sunt, nequaquam tamen in silvas confertae. *Betula alba* in Veroviticensi dominio pro parte incessas paludes inhabitat, nec in siccis substerilibus infrequens est, potissimum ad Therezovác et hinc versus Vucsin, non tamen silvescens, et alibi e. g. per Cottum Poseganum adhuc rarior, attamen inter Kamenszko et Pakrac per vallem non infrequens uti et ad Bhdlyevina inter Pakrác et Daruvár tamen inter Bielasztena et Ternakovác in confinio (Reg. Gradiscani). Sparsae quoque per silvas occurrunt pleraeque aliae Hungariam reliquam ornantes arbores, velut *Acer platanoides* et *Pseudoplatanus*, potissimum in fagetis procerae arbores; tum *Acer campestre* jam fruticis tantum modum tenens, jam arborem non modicam referens ubique usque Darúvár. *Carpinus* item *Betulus*, qui copiose subnascitur silvis excisis, velut infra Posegam, ad Vidovci, alibique est; e. g. in valle Kamenszkoensi. *Ulmus campestris* et *suberosa*, et *Pyrus communis* cum *Acere* illo ultimo margines silvarum et vias obsidentes; *Ulmus effusa* convalles aliaque pinguia loca amans, *Fraxinus Ornus* plerumque fruticis modum non excedens, et partim Fagis, Quercubusque interspersa, partim fruticibus mixta, non raro rupibus innata; porro *Castanea vesca* non infrequens ad Vucsin, Orahovicam in silva, in monte Krndia, in Com. Veröcensi, ad Kuttyevo, ad Mitrovic cum *Q. Robore* et *pedunculata*, ad Polyánszka non procul Straxeman, ad Also Pistana inter Orahovicam et Fericsance, alibique in Posegano Comitatu, uti et *Juglans* utraque, jam silvestrem tenens naturam; *Sorbus domestica*, *Pyrus Malus*, *torminalis* et *Aria*, *Prunus*

Avium; *Populus tremula*, *Salix caprea*, silvis se ingerunt in humilioribus montibus collibusque; et *Prunus domestica*, *insititia*, atque *Cerasus* fere tantum fruticeta et sepes tenent; *Carpinus orientalis*, quam tantum in Sirmio notavimus, partim in fruticetis, velut ad Sarengrád et .... partim in devastatis silvis, velut non procul Karlovicio occurrit, hic alias arborum loca occupans, nuspiam in arborem spectabilis altitudinis excrescens. *Pinus* denique *Picea* (Tanne) quae sola ex hoc genere, quantum novimus, huic regno obtigit, fere tantum per fageta sparsa cernitur, velut in montibus Liszsza, Gradina, Ograssevicska Vrdo et snb cacumine altioris Papuk.

B. Fruticeta etiam fere iisdem, quibus in Hungaria et Croatia constans stirpibus, quarum aliae sepes et fruticeta proprie dicta constituunt, aliae silvas ingrediuntur. *Crataego* nimirum *monogyna* et *Oxyacantha*, *Rosa canina*, *repente* (quae in omnibus hujus regni provinciis obvia est), *villosa* (quam in monte ad Petrovaradinum notavimus) et *pumila*, *Ligustro vulgari* (quod rarum), *Corylo Avellana*, *Prnno spinosa* et *Chamaeceraso*, *Rhamn. cathart.* et *Frangula*, *Rhoë Cotino* (ad Beocsin), *Rhamno cathart.* et *Frangula*, *Acere tatarico* (ad Karlovicium, Velika Remete, Gergetek, per vallem Posegan. fere ubique tum in valle Vucsák inter Posegam et Szelce atque ad hunc ipsum pagum, infra Fericsance, versus Nassice ad Deákovár per Cottum Posegamm a Lippik in confinium eundo). *Pyro Cydonia* (copiosa in sepibus vinearum et in frutices ad monasterium Gergetek, alibique in Sirmio. tum in monte Krndia circum arcem vetustam), *Staphylea pinnata*, *Lonicera Caprifolio* (ad Karlovicium, Essekinum, versus Csepin et ad Deakovár), *Rubo fruticoso* et *caesio* (humidi amante), *Cornu masc.* et *sanguin.*, *Hedera Helice*, *Vite vinifera* (in Sirmio copiosissima),

Junipero communni (inter Vucsin et Fericsance, ad Budanice non infrequens), *Evonymo europaeo* et *verrucoso* (in silvis ad Kamenic), *latifolio* (supra Jankovác), *Viburno Opulo* et *Lantana*, *Daphne Mezereo* et *Laureola* (supra monasterium Orahovicense), *Crataego nigra* (in insula Danubiali, versus silvam Verovitícensem, tum ad Illok), *Rhamno tinctorio* (ad Karlovicium).

C. Prata et pascua praeter graminum aliorum in Hungaria occurrentiam cohortem, quo pertinent *Phleum pratense*, *Festuca pratensis*, *Alopecurus pratensis*, *Dactylis glomerata*, *Agrostis hispida?*, *Festuca ovina*, *Trifolia* varia, distant *Holcus lanatus* et *mollis*, quorum prior potissimum pratis Cottus Verőcensis et ad Russevo atque Migalovce in Posegano frequens est; *Cynosurus cristatus*, prata sicca distat per montosam Slavoniae partem.

D. Plantae luxuriantes, quae ruderata, campos et prata, agros, arva et hortos opplent, eaedem quoque sunt, quae in Hungaria reliqua:

a) Ruderata nimirum aggeres et vias occupant *Atriplex rosea* et *laciniata*, utraque ad vias prope pagos et in his frequens, *Chenopodium album*, *hybridum*, *urbicum* et in subhumidis *glaucum*; *Marrubium peregrinum* cum pauciore *vulgari*, *Carduus acanthoides*, *Cnicus lanceolatus*, *Onopordon acanthoides*, *Echium vulgare*, *Carthamus lanatus* infra Krusedol, ad Beska. *Polygonum aviculare*, *Centaurea solstitialis* in aggeribus Sirmii e. g. ad Beska.

b) Pratis copiose innascuntur, *Daucus Carota*, *Pastinaca sativa* (utraque saepe nimis copiosa); *Pteris aquilina* (in valle ultra Kamenszko et Vucsin luxurians). *Centaurea pratensis* inter Russevo et Migalovce, tum inter Posegam et Pakrác; ubi etiam *Betonica off.* atque *Ononis hircina* fre-

quens est; posterior in pratis ad Kuzma et Szekulince pariter copiosa visa; *Echinops sphaerocephalus* ad sepes in Cottu Posegano. *Euphorbia nicaeensis* infra Vrnik, ad Karlovicium, infra Maradik et infra Banovcze depravat pascua sicca. *Salvia silvestris* in pratis et aggeribus, *Salvia pratensis* est rara nec observata per campum Posegan. nisi supra Rálovci. Ad Badlyevina alibique inter Pakrác et Darovar *Achillea Millefolium*, *Genista tinctoria*, *Thymus montanus* prata obsident. *Scabiosa succisa* in pratis et pascuis humidis non procul Mitrovic.; *Chrysanthemum Leucanthemum*; *Verbena officinalis* in depressis locis ad Vucsin, Drenovác, Borovik dominii Deakováriensis. *Crepis hispida* ad monast. Vrdnik ad Iregh. Infra Szlánkamen prata quaedam tota albent a copiosissima *Caucalide grandiflora*, *Bromus squarrosus* et *Triticum cristatum* in pascuis siccis ad Szlankamen.

c) Arva et agros occupant, saepe segetibus infestae, complures plantae: velut *Erigeron canadense*, *Chenopodium album*, *Serratula arvensis*, (non tantum in arvis sed etiam inter segetes ad Vucsin, versus Drenovácz alibique frequens); *Vicia Crucca*, (segetes tam hiemales quam vernales ad Vucsin, infra Orahoviczam etc. infestat); *Equisetum arvense* autem inter Kuttyeva et Márovic. *Hypericum perforatum* arva ad Drenovác pro parte ita replent ut omnia flavescunt. *Festuca Myuros* in agris collium et montium minorum. Cott. Veröcz a Dravo versus Verotivic. *Cannabis sativa* in arvis Cottus Sirmiensis et confinii militaris copiosa; etiam *Centaurea solstitialis* et *Sambucus Ebulus*. *Xeranthemum inapertum* in agris copiosissimis non procul Vucsin, versus Szlana voda; ad Popovác; ad Drenovác etiam *Chrysanthemum Leucanthemum* in arvis copiosum est; *inodorum* autem (nunc *Pyrethrum*) margines et versuras agrorum potissimum occupat, et etiam segetibus sese ingerit, ad Nassicz, Podgorács

in Sirmio, ad Essekinum copiosum. *Dipsacus silvestris* (cor. rubellis) et *laciniatus* (cor. albis) in aggeribus, ad sepes per Cott. Veröcensem et Posegannm frequens. Plura prata inter Orlyovác et Osekováo et ultra *Centaurea prat.*, *Ononide hircina*, *Betonica officinali* nimis abundant. *Anthemis Cotula* per Com. Veröcensem inde ab oppido Vucsin usque Deakovár fere ubique copiosa in agris et horum versuris; uti et ad Posegam, Mitrovicam, supra Posegam; a copioso *Heliotropio europ.* ad Vuka, pagum infra Deakovár, arva inter Deákovar et Város canescunt, etiam in agris ad Benkovác in confinio copiosum; *Euphorbia helioscopia* non parva copia intermixta; alibi velut ad Kuttyevo, Mitrovicam hunc colorem *Filago arvensis* (nunc *Gnaphalium*) induit, ubi et *Thymus montanus* etiam ad Badlyevina inter Pakrácz et Daruvár copiosus, et infra N. Gradiscam alibi per vallem Poseganam) cum *Jasione montana* frequens est; *Picris hieracioides* agros ad Mitrovic infestat, et *Aristolochia Clematitis* ibidem atque inter Posegam et Pleternicam in arvis magnas plagas sola occupat, aliis plantis extrusis; *Hordeum murinum* ad agros Cottus Posegan., alibi etiam ad muros ad vias densum nascitur; *Panicum viride* autem et *verticillatum* hortos ad vineas infestant, et *glaucum* in agris post messem copiosissimum subnascitur. *Sambucus Ebulus* per omnem Slavoniam quidem nimis frequens, copiosissimus autem in agris ad Brestovác; *Panicum Crus Galli* in demissis subhumidis nasci solitum in agris *Avenae* ibidem in maxima copia visum, *Amarantus hybridus* Jacq. ut in reliqua Hungaria, ita et in Slavonia agros (potissimum Zea consitos) tum hortos, vineasque infestat, et ad vias quoque et in verrucis agrorum copiosus est, e. g. ad Mitrovic, Grádác etc. *Rumex Acetosella* cum *Epilobio montano* et *Thymo montano* arva inter vineas Veroviticonses opplet; *Scabiosa transsylvanica* in arvis ad Beocsin

et Beska. In aliis agris *Stachys germanica*, *Verbascum phlomoides*, inter Rakovác et Beocsin. Infra Szlankamen prata quaedam tota albent a copiosissima *Caucalide grandiflora*. In arvis Sirmii infra Krussedol etiam *Antirrh. genistif.*, *Achill. nob.*, *Anthem. tinct.*, *Stellera Passer.*, *Picris hierac.*, *Alth. hirsut.*, *Artemisia scoparia*, *Stachys germ.*, *Sisymbrium Columnae*, *Tordylium Anthriscus*, *Thymus Acinos*, *Isatis tinctoria*, *Chelidonium corniculatum*, *Salsola Tragus*, *Aren. serpyll.*, *Fumaria prehensilis*, *Carthamus lanatus* luxuriant. *Erica vulgaris* ericeta hic non constituit, nisi aliquot plagas lapidosas inter silvas (e. g. supra Drenovác) eadem obsessas ita dicere velis. *Holcus repens* infra Maradik in agris subarenosis. *Rubus caesius* inter Rákovác et Beocsin copiosissimum, *Vicia villosa* in arvis Sirmii e. g. ad Becska.

(Das Uebrige vergleiche in Reliquiae Kitaibelianae pag. 68 seq.)

Schon früher erschien ein grosser Theil der in den Plant. rar. mitgetheilten Pflanzen in Willdenow's Species plantarum, während auch einige sind, die nur in diesem Werke und in Willdenow's Hortus berolinensis veröffentlicht wurden. — Die erste Decade der Pl. rar. erschien im November 1799; es erschien jedes Vierteljahr eine Decade; von 1805 — 1812 erschienen in unregelmässigen Zeitabschnitten die 21. bis 28. Decade. —

Mit dem Subscriptionsbogen für die Pl. rar. erschien auch die Einladung auf ein Werk: „Botanische Reisen in Ungarn!“ Der Subscriptionsbogen ist datirt: Wien und Pest, 17. März 1799; unterschrieben: Graf Franz Waldstein und Paul Kitaibel. 4 S. in 4to.

„Ueber das Matragebirge; in topographisch-naturhistori-

scher Rücksicht.“ Im literarischen Anzeiger für Ungern 1799. S. 25—31.

Leider konnte mir die deutsche Ausgabe nicht zur Hand kommen, doch erschien diese Arbeit später in der schon erwähnten Hydrograph. Hung. II. Bd. 151 S. Da auch dieses Werk äusserst selten ist, theile ich das, was für uns Interesse hat, hier mit:

A. Situs. Per hevesiensis Comitatus tractum septemtrionalem partemque neogradensi contignam Jugum decurrit Montium Mátra vocátum. E cacumine ejus intuentibus plagas circumsitas se offerunt versus Meridiem, cum declinatione simul in Orientem et Occidentem, colles majores minoresque per Comitatum hevesiensem et pesthiensem diffusi, ultraque hos planities imménsa, quae Hungariae Meridiem atque Orientem constituit. Versus Septemtrionem visui se offerunt Montes Vallesque, mul- (p. 152) tum variantes, donec in distantia plus quam viginti milliarium limites exsurgant et Régni et visus: Carpathi Juga in altitudinem praecelsam. Mátra adeoque ratione situs est limes septemtrionalis planitiei hungaricae majoris, et meridionalis Carpathorum.

B. Expansio et altitudo. Longitudo Jugi hujus est éximia, nam ab angulo Comitatus neogradiensis extremo intra Orientem et Meridiem, ubi rivo majore Zagyva clauditur, usque ad Fel-Döbrö, ubi valle ampla, rivum limitaneum Tarna deferente, a montibus agriensibus sejungitur, ultra octo milliaria decurrit. Latitudo vix trium est milliarium. Si qua promontorium consideretur, altitudo non est parva, cum Gyöngyösino, meridionale pedi assidente, vertex vix intra horas tres conscendi possit.

C. Adspectus. Forma sistit Jugum Montium longitudine in arcum deflexum, a limite Comitatus neogradiensis supra

Tar et Pásztó in Meridiem, dein sensim versus Orientem extensum, donec Montes versus Verpelét et Fel-Döbrö minuuntur atque in colles abeunt. Adspectus Jugi loca aspera et praecipitia non exhibet, totum attamen praeceps est adeo ut hactenus unica solum per idem duci potuerit via. Nec per totum tractum valle in partes separatur; vertex tamen varie adscenditque, et latera vallibus in variam directionem abeuntis cavantur. Inter has varii elevantur Montes, collesque, qui in tergo seu parte septemtrionali ut plurimum forma coni elevantur [1]).

(p. 153). *D.* Clima. In considerationem sumto situ atque altitudine Jugi hujus apparet Clima, quoad Temperiem, hic non regnare asperum. Nix communiter jam Martio funditur, etiam in cacumine; et latus Meridiei obversum, atque in Orientem deflexum usque in altitudinem majorem ferax est vini eximii Hinc eo magis memoratu dignus est locus, in quo aestas fervidissima raro omnes hyemis reliquias delet: a dextris nempe viae Gyöngyösino per Jugum ducentis, vix non in cacumine Montis, depressio soli amplae, cum valle communicans, nivem atque glaciem communiter totam, per aestatem conservat intactam, ad minimum in cavis hic per Saxa sibi incumbentia formatis.

E. Mineralia.

---

1) Majores declivitates, atque quaedam Jugi elevationes monstrant vestigia arcium antiquarum 18, e quibus adhuc sequentia nomina hic loci notata sunt. Világos ad Tarján, Bene ad Gyöngyös, Bene ad Markasz, Oroszleányvár ad Domoszló, una ad locum Nana, alia Izederjes ad Jugum Matrae, una ad Szent Mária, altera ad Sirok (adhuc usque 1686 a Turcis habitata), Kanászvár ad Derecske. In Territorio parádensi sunt 5: Vörösvár, Palánk, Marhád, Tatárok szállása, Várhegy; Agasvár a Tiribes, una ad Hasznos, una ad Tar, atque altera, Óvár in eodem territorio.

(p. 159.) *F.* Vegetabilia. Magnam et copiam et varietatem Vegetabilium Mátram incolere debere fuit e Jugi hujus situ, altitudine, expansione, atque structurae mineralis varietate.

Non quidem Florae proles omnes hic nominabo, verum quod pluribus gratum fore puto, ad minimum Ligna et Vegetabilia rariora consignabo.

Latus Jugi australe, atque hujus deflexus in Orientem Quercetis tegitur. Observavi hic, prouti per caeteram Hungariam:

Quercuum species quatuor.

Quercum Robur L. Tölgyfa hg. Weiszeiche germ.

(p. 160.) *Quercum pedunculatam* Willd., *fructipendulam* Schrank, Motsárfa hg. Rotheiche, Stieleiche, Knoppereiche germ.

Quercum Cerris L. Tserfa hg. Zerreiche germanis.

Quercum pubescentem Willd. probabilius, necdum tamen satis determinatam; Magyalfa hg. foliis griseo-tomentosis, fructibus subpedunculatis distinctam [1]).

Latus montium septemtrionale plurima tegitur *Fago silvatica* Bükfa hg. Rothbuche germ. licet declivitates *Querum* quoque *Cerrim* proferant.

Praeter Quercus et, quae silvas Matrae constituunt, Ligna sequentia observantur:

Acer campestre, platanoides, Pseudoplatanus, tataricum. Populus alba, tremula. Betula alba, Alnus. Fraxinus excelsior, Ornus. Prunus avium, Mahaleb, spinosa, Chamaecerasus Jacq. *Carpinus Betulus. Sorbus domestica, aucuparia. Crataegus torminalis, Aria, oxyacantha, monogyna. Rosa canina, sempervirens, pumila, spinosissima,*

---

1) *Q. pubescens* Willd. non Willd. species, *alba* L. Kit.

alpina. Viburnum Opulus, Lantana. Staphylea pinnata. Ligustrum vulgare. Corylus Avellana. Evonymus europaeus, verrucosus. Rhamnus catharticus, Frangula. Ribes Grossularia. Lonicera Xylosteum. Rubus idaeus, fruticosus, caesius. Vaccinium Myrtillus. Clematis Vitalba. Cytisus nigricans, capitatus, austriacus. Amygdalus nana. Spiraea chamaedrifolia. Horum momentiores sunt: *Fraxinus Ornus*, virágos Körösfa hg. blühende Esche germ. alias regionum Europae calidiorum, Italiae, Galliae incola.

Rosa alpina, Alpenrose, alias planta alpina, aut subalpina; hic copiose degit sub *Sorbo aucuparia* et (p. 161) *Empetro* (Rauchbeerstrauch) in depressione frigidâ sub *D.* descripta.

Acer tataricum, Fekete Gyürü hg. schwarzer Ahorn germ. alias Asiae septemtrionalis incola, fronde pulchra et fructibus sanguineo colore illustribus hortorum decus, insuper utilis tincturae nigrae, et, observante Burgsdorf, Bombyci alendae.

Amygdalus nana, Hangafa, Hanga-baratzkfa hg. Zwergmandelstrauch germ. hactenus solum in Sibiriae desertis, a me tamen in variis Hungariae partibus copiose reperta. Colles nudos aridos retro Gyöngyös incolit, atque vere copiosissimis persicino colore fulgentibus floribus exornat: nucibus continet Oleum eximium pingve.

Spiraea chamaedrifolia B., *media* Schmidti etiam hactenus solum in Sibiria observata Montem inhabitat apud nos tokaiensem, et Mátram, qua via Gyöngyösino Parádium ducit.

Praeter Arbores Fruticesque nominatas Mátra plurima fert Vegetabilia, alias in pratis, collibus aridis, Montibus et sylvis Hungariae occurrentibus; inter haec tamen rariora

quaedam, imo etiam nova, necdumque descripta. Inter rariora sunt *Leersia oryzoides*, in rivis et alveis occurrens. *Cynosurus cruciformis*, copiosus in pratis humidis circa Sirok; *Festuca serotina*, secundum Linnéum hactenus solum ad Veronam reperta, proque *Agrostide* reputata; *Aconitum Anthora*, *Sinapis incana*, *Ononis hircina*, *Lathyrus hirsutus* etc. Novis accensentur *Veronicae* species perbella; *Pedicularis*, *Lactuca*, *Cardnus*, quarum descriptiones et icones hoc vel insequente anno prodibunt.

Imaginem hanc Matrae primas solum descriptionis topographicae, et historico-naturalis lineas dixeris, quae forsitan tamen sufficient excitandae ideae hujus Jugi Montium exactiori, quam hactenus inter nos vulgata.

Diese Arbeit erschien deutsch mit dem Zeichen K **, und fand sich auch dies K ** bei der lateinischen Handschrift an der Stelle der Unterschrift.

„Recension von Samuel Genersich's Florae Scepusiensis elenchus etc.“ Im Literärischen Anzeiger für Ungern. 1799. p. 107—110.

„Auszug eines Schreibens vom Herrn Professor Kitaibel. Pest, den 1. Mai 1804.“ In Schrader's Neues Journal für die Botanik. Erfurt 1806. I. Band. 1. Stück. p. 161—163.

Enthält Mittheilungen über neue *Iris*, *Alsine*, *Campanula*, *Trifolia*, *Rosa*, *Genista*, *Pedicularis*, mit Diagnosen, aber ohne Benennung, dann Bemerkungen über seinen *Asparagus silvaticus* und *Convolvulus silvaticus*.

Schultes theilte er für die 2. Auflage von Oesterreichs Flora Pflanzen aus Ungarn mit, und wurden auch dort von Kitaibel mehrere neue Arten beschrieben. Auch für die 6 ersten Bände des Systema von Römer und Schultes sandte er Beiträge. — Die in Hornemann's Hortus Hafniensis beschriebenen Pflanzen Kitaibel's mag jener nach im botani-

schen Garten von Kopenhagen gezogenen, von Kitaibel gesandten Saamen gemacht haben. Wenigstens finden sich die dort beschriebenen Pflanzen in den Pester Gartenkatalogen vor. Auch Sadler erwähnte mancher Kitaibel'schen Pflanzen, wie auch Host und Rochel solche zuerst in ihren Werken den Botanikern mittheilten. Auch DeCandolle's Prodromus enthält Pflanzen mit Kitaibel's Autorität, die das erstemal dort erscheinen.

Nach seinem Tode erschienen:

„Pauli Kitaibel Hydrographica Hungariae praemissa auctoris vita edidit Joannes Schuster." Pest 1829. 2 Theile. 8vo.

Dieses Werk enthält auch einige botanische Notizen, die ich hier mittheile.

(I. p. 89.) Aqua magyaradiensis. (Com. Houth.) Inter Vegetabilia hic crescentia prae aliis memorabilis est *Glaux maritima*, copiosissima locis udis tam ad scaturigines supra memoratas, quam sub hoc colliculo (p. 91) tofaceo, uti et *Plantago* quaedam *lanceolatae* affinis, sed folia pilis longis vestita habens. Caeterum frequentes hic sunt: *Anthemis Cotula*, *Phlomis tuberosa*, *Althaea officinalis*.

(p. 95.) Aqua Szántóensis II. (C. Houth.) Pratum caeterum fertile, circum Aquas has minerales copiosam alit *Glaucem maritimam*, et, ubi Aquae stagnant, copiosam *Scirpum lacustrem*; alibi in humidis densa est *Poa aquatica*.

(p. 253.) Aqua Neo-Lubloviensis (C. Scepus.). Montes, qui vallem scaturigines fovetem constituunt, *Pinus Picea* (Fichte) tegit — — —. Plantae in hac valle complures occurrunt, in inferiore Hungaria non occurrentes, aut rarae: velut *Alchemilla vulgaris*, *Impatiens Noli tangere*, *Rosa pendulina*, *Lonicera nigra* et *Xylosteum*, *Ribes Grossularia*, et aliud inerme (*alpinum?*), *Astrantia major*, *Carda-*

mine impatiens, *Turritis glabra*, *Thalictrum aquilegifolium*, *Paris quadrifolia*, *Phyteuma spicatum* (floribus ochroleucis), *Spiraea Ulmaria* et *Aruncus*, *Convallaria bifolia* et *verticillata*, *Gentiana asclepiadea*, *Betula incana*, *Prenanthes muralis* et *purpurea*, *Orchis maculata*, *Lathyrus silvestris*, *Trifolium flexuosum*, *Sambucus racemosa* etc.

(II. p. 313.) Descriptio et investigatio Aquarum mehadiensium (1800). *α*) Situs et adjuncta loci. In angulo Hungariae meridionali, parte ad Orientem vergente sita est plaga, magna Valachiae contermina, a Danubio sub Orsova Regnum deserente tribus et dimidio milliari in Septemtrionem recedens, quae scaturiginibus Thermarum Herculis per tot saecula inclaruit. Mehadia huc descendentem, sub oppidi meridionali latere ducit pons solidus, rivo praefluo uberi Bela Reka injectus, in ripam dextram, ubi via decurrit per amoenam sat amplam vallem, utrinque Arboribus consitam. Solum exundatione aggestum subsabulosum, fertile tamen, tegitur pratis agrisque, *Zeam*, *Triticum* et *Secale* proferentibus. Nunc versus confluentem rivi hic dilatati vado transit via in ripam Belae dextram, mox amni Csernae (olim Oserna Réka, nigro Rivo, Valachis Gora Cserni nominato) influentem. Ad hunc confluentem Montes mehadienses cum rivo Bela a Septemtrione in Occidentem protensi abrumpuntur, viamque admittunt Orientem versus in vallem angustam Lunka Vármjicza dictam, inde a montibus mehadiensibus formatam, hinc ab iis, qui in sinistra Osernae ripa, Valachiae contermini, versus Danubium decurrunt.

(p. 315.) Vallis Csernae, per quam amnis e Transsilvania alveo saxoso praecipiti undam limpidam, puram multo cum murmure, devolvit, directionem tenet ab Aquilone (ON), versus Libonotum (WS). Formatur ea e montibus praeruptis,

in sinistra Csernae; a vico Pecseneska per trium horae quadrantem extensionem Septemtrionem versus, in parietes saxeos, hinc illinc perpendiculares, nudos elevatis; in dextra Csernae vero ripa, a confluente Belae ultra domos balnearios, ii minus praecipites sunt, silvis consiti; abhinc tamen attolluntur in scopulos aridos, fluvio oppositaeque Montium catenae adeo approximatos, ut ex utraque amnis ripa vix incommodae spatium relinquatur semitae. Montes a vico Pecseneska in sinistra Cserna ripa Septemtrionem versus sequente série se excipiunt: Buzonye, Serbánu, Piátra, Sojmului, Domuglet et Suszti Domuglet, quorum duo postremi hujus regionis altissimi sunt; ultimus in semialterum horae quadrantem extenditur longitudine. Vallis angusta inter Serbánu et Sojmulu vocatur Proláz; aeque angusta inter ambos Domuglet vero dicitur Zserálen: ambae deducunt semitis laboriosis in silvas dissitas et ad Valachiae limites. Montes ad dextram Csernae ripam versus Septemtrionem disponuntur: Kulmjá, Benkinyeczului, Gyálu Ogásznlui álu Szek, Ogássu Bojuyulor, Piatra Kupesegului saxosus, et Klepenyáko. Vallis inter Montes ambos Ogássu dicitur Szletinyi, inter Benkinyeczului et Gyálu Ogászului álu Szek vocatur Zeszminú (Ogássu Valachi nominant Vallem angustam, Valye amplam; Szek siccum significat).

(p. 316.) Montes decliviores, prouti Saxorum praecipitium declivitates inferiores silvis teguntur, almtque copiosa alias similibus in regionibus occurrentia, sed imo etiam rariora Vegetabilia, quae extra montosam Banatus partem in aliis Hungariae plagis frustra quaesieris: haec quidem praecipue inter Saxa plurimum praerupta occurrunt. Silvae maxima parte constant *Fago silvatica* (Rothbuche), cujus Arbores retro parietes Saxorum usque in Confinia fere intactae vegetant, dumque aetate consumtae labuntur, putredine conta-

bescunt; at in valle csernensi locis patulis adeo parum parcitur iis, ut pulcras vix videre liceat Arbores. Nihilominus etiam hic densa stat silva, cum Fagis privata loca occupent *Carpinus orientalis* Hainbuche, (species nova, Valachis Kárpániczá, (p. 317) aut Kárpiniczá, hac in plaga Szvinyák vocata, ad distinctionem a Weissbuche — sic Editor — Kárpin nominata), *Crataegus nigra* (val. Paducsiel niegra), *Tilia europaea* (val. Tje possosz) et *alba* (Tje alba), quae foliis subtus albis amoene elucet e silvarum virore; *Juglans regia* copiosa, usque ad Saxorum praeruptas parietes adscendens, *Carpinus Betulus*, *Acer campestre*, *platanoides*, et *Pseudoplatanus*, *Fraxinus Ornus* (Frasszinitza vel Frapsinitza; dum *Fraxinus excelsior* Fraszszin vel Frapszin nominatur), *Corylus Avellana* (Alun), *Evonymus europaeus* (Szálbámolye) et *verrucosus*, *Prunus Mahaleb* (Cseries Szálbátik), *Rhamnus catharticus* et *cardiocarpus* (quem postremum Valachi nomine non distinguunt, scientes licet, eum in Valachia crescere, baccasque pluris habitas majori pretio solvi; *Crataegus torminalis* (Szorb), *Salix caprea* (Szálka Szálbátik), *Betula alba* (Másztákán), *Populus tremula* (Plop), *Syringa vulgaris* e rimis Saxorum calcariorum usque in cacumine Montium pullulans (val. Iilyák), *Vitis vinifera* (Kurpin niegra) quaqua versum in vallibus et editis locis sub fruticeto occurrens; *Viburnum Lantana*, *Ligustrum vulgare*, *Cornus mascula* (Korn) et *sanguinea*, *Clematis Vitalba* (Kurpin djel álb, aut Gyel alb.), cujus virgulta inserviunt alvearibus Apium texandis; folia vero qua vesicans adhibentur, *Ulmus campestris* et *effusa* (val. Ulm), *Rosa canina*, *rubiginosa* et *collina*, *Rhus Cotinus* (Szkumpina), *Sambucus nigra* (Szok); *Pyrus Aria*, et *Juniperus communis* rarissime.

Fluviis accolunt *Fraxinus excelsior*, *Betula Alnus* et

incana, *Rhamnus Frangula*, *Salix acuminata* et *monandra*, *Viburnum Opulus*.

(p. 318.) Quercenum pauperrima regio omnes tamen quatuor quas Hungaria alias profert, species alit, Valachis propriis designata nominibus: adest nempe *Quercus Cerris* (val. Cser, rascice Czer), *Quercus Robur* (Weisseiche, val. Gorun, rasc. Grániczá), *Quercus pubescens* Willd.? (val. Sztezser), quae Banatum rarissime incolit, Valachis tamen, qua durissimum lignum, selecta in rotarum modiolos, radiosque.

Pinus in Banatu rarissimae sunt: nam praeter *Taxum baccatam* (Tyisz) ad Német Szászka occurrentem et *Juniperum communem*, hinc inde sparsim in montibus aridis exulantem, duas solum Pinuum species offendimus: *Pinum* nempe *silvestrem* (Pin), qui Saxis calcareis maxime praecipitibus insidens Hominis manus devastorias effugit; species altera (Valachis Brád), tam in *Pinu picea*, quam *balsamea* differt: foliis densis secundis, subemarginatis, subtus linea duplice albo-punctata. Strobilos ad Mehadiam exhibuit erectos, ad Oraviczam vero retroflexos, probabilius ex seminibus per Vermes arrosis.

Memorabilis hic degit Arbor, *Corylus Colurna* (Alungyuel alb), Scriniariorum deliciae, quae multam quotannis in Turciam effert pecuniam. Hinc ea locis accessis jam exstirpata est; invenimus tamen adhuc plures arbores in vallibus Proláz et Zseraleu, atque Fagetis versus Fontem Izvoru Szkurt sitis: aemulantur eae Fagos altissimas crassitie et altitudine, adspectumque sistunt amoenissimum. Lignorum memorabilioribus generibus accensentur insuper: *Rosa pimpinellifolia* et *pyrenaica?* definitione (p. 319) *pendulinae*: petiolis inermibus, germinibus oblongis; laciniis calycinis lanceolato-linearibus integerrimis, unica nonnumquam apice subfoliosa;

utraque inhabitat rupes calcareas altissimas in Domugleti latere orientali, et medio inter Austrum et Occidentem loco, *Spiraea ulmifolia*, incolens saxosas plagas retro tergum Montium; *Spartium radiatum* e fissuris summi Saxorum cacuminis raro proveniens; tum *Cytisus patens?* *C. falcatus* n. sp.? et *Mespilus tomentosa* Willd. cujus patria hactenus ignota fuit.

E rarioribus Vegetabilibus hujus Regionis sunt sequentia:

a) In fruticetis et silvis: *Veronica urticaefolia*, *Bromus novus?* et *asper*, *Festuca latifolia* n. sp., *Agrostis vinealis* et *Calamagrostis*, utraque descripta, *Milium paradoxum*; *Juncus maximus* et *albidus*, *Carex drymeia*, *Dipsacus pilosus*, *Aspérula taurina*, *Campanula bononiensis* et *rapunculoides*, *Hyoscyamus Scopolia* (versus Fontem Izvoru Szkurt), *Ferula verticillaris* (in fruticetis retro montem Suszti Domuglet), *Laserpitium latifolium*, *Bupleurum junceum*, *Pyrola secunda*, *Dianthus atrorubens*, *Silene viridiflora*, *Cucubalus glutinosus*, *Rosa repens*, *rubiginosa*, *Rubus saxatilis* et *ambiguus* n. sp, *Fragaria sterilis*, *Thalictrum nigricans* et *elatum*, *Agrostemma coronaria*, *Aquilegia*, *Scutellaria* utraque, *Melissa officinalis*, *Thymus montanus*, *Digitalis purpurea*, *Lunaria rediviva*, *Cardamine hirsuta* et *impatiens*, *Arabis turrita*, *Sisymbrium pannonicum*, *Bunias orientalis*, *Geranium phaeum* et *barbatum* n. sp., *Cytisus patens* et *intermedius*, *Hypericum hirsutum*, *Crepis hispida*, *Hyoseris foetida*, *Prenanthes purpurea*, *Doronicum austriacum*, *Lactuca stricta* et *sagittata*, *Carpesium cernuum*, *Conyza squarrosa*, *Pyrethrum macrophyllum*, *Achillea crithmifolia* (*versetzensis*); *Centaurea phrygia?* a *C. phrygia* Jacq. diversa, *Buph-* (p. 320) *thalmum cordifolium* n. sp. *Orchis tetragona*, *maculatae* affinis, corollis rubris: fors n. sp. *Tamus communis*, *Ruscus*

aculcatus, *Asplenium Adianthum nigrum*, *Polypodium aculeatum*.

Ad Csernam. *Epilobium angustissimum* et *pubescens*, *Arundo* calycibus unifloris, petalo exteriore apice aristato, arista calycem excedente; foliis planis, utrinque scabriusculis.

